FVNDAMENTA

LVTHERANÆ DOctrinæ, de Vbiquitate, atque adeò de corporali præsentia corporis Christi in Eucharistia,

AD ORTHODOXAE FIDEI normam expensa, & sub veritatis censuram reuocata.

EX ORTHODOXO CONSENSV, Contra Patres Bergenses.

M. AMBROSIO WOLFIO Authore.

Pars Prima.

ECCLESIAST. 4.

Non contradicas verbo Veritatis vllo modo, sed de mendacio imeruditionis tuæ verecunderis.

AVGVSTINVS ad quendam Donatistam.

Quod in Cypriani scriptis diuinarum scripturarum authoritati congruit, cum laude ipsius accipio: quod autem huic non congruit, cum pace ipsius repudio.

GENEVAE

ANNO DOMINI M. D. LXXIX.

Apud Abelem Riuerium.

FVNDAMENTA
EVTHETANE DO-
Crinæ, de Obiquitate, atque adeo de corporali præsentia corporis Christi in Eucharistia,

AD ORTHODOXAE FIDEI
normam expensa, & sub veritatis censurum reuocata.

EX ORTHODOXO CONSENSU
Contra Patres Bergenses.

M. AMBROSIO WOLFIO Authore.

Pars Prima.

EGRESSIA.

Non contradicas verbo Veritatis, & eo modo, quod ab ea mendacia, maiorum tuæ verecundiæ.

AVGVSTINVS ad quendam Donatistam.

Quod in Cypriani scriptis dubitaremus sempiternum auctoritatem, et cum eam laude in suis scriptis, quæ [illegible] ipsius repudio.

GENEVÆ.

ANNO DOMINI M. D. LXXIX.

Apud Abelem Rutilium.

AD LECTOREM.

CELEBRE ſemper dictum inter omnes ſincerè & ingenuè doctos fuit, Amicus Socrates, Amicus Plato: at magis amica Veritas. Eſt enim pulchritudine ſua adeò amabilis res Veritas, vt etiam in hoſte probetur: cuius ſpecioſã, gratiſſimámque faciem ſiquis coram oculis ſpectare & intueri poſſet, nihil eſſet ei in toto terrarũ orbe futurum præ ipſa charius & antiquius. Hinc rectè Auguſtinus: Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Eſtque, vt eleganter Seneca monet, tanta ipſius Veritatis vis, vt contra omnium ingenia, calliditatem, ſolertiam, & conflictas hominum inſidias facilè ſeipſam defendat: ſed & vincit quoq; ſuper omnia tandem, & præualet veritas. Cæterùm vt multa ſunt etiam, quæ à cognitione veritatis hominum mentes, ad vulgares errores, & præiudicatas opiniones, apparenti quadam & fucata veritatis ſpecie abducunt, iiſque faſcinatos detinẽt (Sunt enim non pauci, qui ideo ad veritatis cognitionẽ peruenire non poſſunt, quoniam, vt ijs hoc exprobrat Auguſtinus, iam ſe peruenìſſe putant, ſibique opinionis errore perſuadẽt.) Ita in primis grauiter iudicio nocet præpoſtera illa, & nimis affectata admiratio magni & præſtantis alicuius, atq; præclaris ingenij animíque dotib⁹ ornati viri. Inde enim illud Pythagoricum, Αυτὸς ἔφα, quo in omnibus diſciplinis ſæpenumero veritatem vulgaris & malè præiudicata opinio

vicit & ſuperauit. Cuius exempla etiam in Eccleſia Dei permulta oſtendi poſſent. Notum eſt, qualis & quàm magna fuerit olim in primitiua Eccleſia Origenis authoritas, qua cùm diſcipuli & ſectatores ipſius multis in rebus pernicioſè & odioſè abuterentur, neceſſe fuit errores & malè ipſius dicta notare, ne quis incautus, & authoritatis admiratione captus, omnia eius dogmata promiſcuè, & ſine diſcrimine amplecteretur. Et cùm ex Diodoro & Theodoro, qui Arrium & Apollinariũ oppugnabant, Neſtorius ſuum dogma confirmare niteretur, coactus fuit Cyrillus, poſt mortem ipſorum contra inconſideratè eorum dicta ſcribere. Nec incognitum eſt, quid acciderit Cypriano, poſt cuius mortem Donatiſtæ authoritate ipſius Auguſtino & Orthodoxis non leue negotium fecerunt: adeò vt Epiſtolam iſtam, quam ad Iubaianum ſcripſit, qua potiſſimum ſe iuuabant Donatiſtæ, erroris notari neceſſe fuerit. Et quid aliud in regno Pontificio veritatis cognitioni magis obſtitit, quàm illa de Authoritate Eccleſiæ, quæ errare non poſſet, concepta perſuaſio? Iſto enim fucato & plauſibili prætextu quanta errorum moles & ſentina Eccleſiam non inuaſit? Cùm autem hodie iiſdem veſtigiis inſiſtant Flaciani & Vbiquiſtę, qui paſſim in omnibus controuerſiis ſolius D. Martini Lutheri (viri alioqui in Eccleſia magni & pręſtantiſſimi) authoritate, quaſi quodam Gorgonis capite, pugnant, formidabiléſque ſe faciunt, & aduerſarios ſuos in muta ſaxa conuertere ſtudent, eáq; res, etiam in cauſa aliàs bona & iuſta, periculoſiſſimi & pernicioſiſſimi in Eccleſia exempli ſemper fuerit: operę preciũ me facturum arbitror (quoniam prorſus extrema & ineuitabilis hoc ita requirit & extorquet neceſſitas: nec vlla ratio ſupereſſe videatur, qua hodierni tẽporis fidei dominatoribus, qui pro miniſtris & doctoribus in Eccleſia tyrãnos ſe gerunt, reſiſti, & veritas à violentis eorũ & cõſtupratis iudiciis, atq; cõcuſſionibus vindicari poſſit) de quatuor

Lutheranæ doctrinæ fũdamentis, in ſtabiliẽda Vbiquitate, & corporali preſentia corporis Chriſti in pane, perſpicuã explicationem & cenſurã inſtituere: vt quibus veritas, pax, & ſalus Eccleſiarũ curæ eſt, hinc probè intelligãt, & attẽtè conſiderent, quàm graue per ſe pondus habitura eſſent inter verè doctos & piè ſentiẽtes iſta Lutheri fundamẽta, niſi authoritate nominis ſui eſſẽt munita, & hoc ſolo prætextu, ad oppugnandã per ea veteris & Orthodoxæ Eccleſiæ de myſteriis ſententiã, & terrorẽ imperitis incutiendũ, ab iſtis fidei dominatoribus proponerẽtur. Cæterũ quod Auguſtinus de Cypriano ſcribens, ait, *Quod in Cypriani ſcriptis diuinarum ſcripturarũ authoritati congruit, cum laude ipſius accipio: quod autem huic non congruit, cum pace ipſius repudio:* hoc quominus etiã de Luthero, & quidem de Polemicis ipſius ſcriptis, quorũ, præter plurima malè & incõſideratè dicta, etiã non exigua ſẽtentiarũ varietas eſt, iure dicere, & ſẽture liceat, nemo, vt opinor, bonus & æquus cum aliqua ratione eſt aduerſaturus. Rumpetur quidẽ præ indignatione & inuidia crudelis illa Flacianorũ & Vbiquiſtarũ factio. At iſti prius deſinant receptiſſimã Orthodoxæ Eccleſię veritatẽ, nouo illo ſuo, verè ſchiſmatico, & hactenus inter Chriſtianos inaudito, more & modo, per turpiſſimè partim emẽdicata, partim verò extorta ſuffragia, quorũ iã paſſim, intellecta fraude, pudere incipit ipſos ſuffragatores, oppugnare, quàm hãc ſincerè iudicãdi, & in probãdis omnibus, iiſq; quæ bona ſũt retinendis, diuinitus permiſſã libertatẽ, canina ſua rabie furẽtes, nobis eripere conẽtur. Verſatur in multorũ manib⁹, nec ſine gemitu piorũ legitur, virulẽta illa & præſumtuoſa ſuperbiſſimi ſpiritus Bergenſiũ Patrũ Tãgermundenſis cenſura, qua aliquot Auguſtanę cõfeſſionis Principũ graues & iuſtas cauſas, propter quas librũ Bergenſẽ, pro ſanæ doctrinæ norma recipere, & iniquiſſimis eorũ detrectationib. & cõdemnationibus, cõ-

tra nõ auditos, & causa nõ cognita, subscribere, séque per hoc calumniæ periculo temerè illigare nõ voluerũt, ambitiosissimo fastu reiecerũt, præfracte & quasi prætoria potestate & lege edicẽtes, quod ne ad latũ quidem vnguẽ, neq; etiã in minutissimo quoquo puncto, ab hac sua recẽter fabricata doctrinę norma, & nouę Concordię, vt vocãt, formula (qua certè opus nõ esset, si Marpurgẽsis, Vitebergẽsis, atq; etiã cum Heluetiis iã olim sancita, & sãctè obtestata cõcordia fideliter seruata fuisset) recedere velint, aut possint: Hæreticos, Fanaticos, Sacramẽtarios, & impuros doctores, pro sua dominãdi in Ecclesia libidine, oẽs eos appellãtes, qui subscriptionẽ huius suę normæ pergere volẽt recusare: cuius execrãdæ audaciæ puduisset ipsos Tridentini Cõcilij Patres. Aristis nouis Aristarchis illud cõmodissimè regeri ex Paulo potest, Mihi pro minimo est, quod à vobis iudicer, hoc est, à iudicib⁹, quos suspectos, indignos, inhabiles, malæ fidei & cõscictiæ viros esse, de quib⁹ verè dici ex Psalmista potest, quorũ os maledicẽtia abũdat, & lingua ipsorũ dolos cõcinnate cõsueta est, ipse deploratissimus eorũ agẽdi mod⁹ plus satis testatur, & breui testabitur adhuc amplius, diuino iudicio, lõgè alius, quàm ipsi sibi persuadeãt, rerũ exitus. Vt itaq; teterrimę istius cẽsuræ toti terrarũ orbi innotescat, pteruitas & iniustitia, apertissimè demonstratum est in hac tractatione, quod nisi quis à verè Catholica & Orthodoxa fide, à ppetuo vniuersalis Ecclesiæ cõsensu, atq; etiã ab Augustanę cõfessionis vera & nũquã cũ Pontificiis controuersa sententia, de persona Christi in duab⁹ naturis, turpissima defectione in graues & pernicios os errores descisc ere volet, hũc necessariò ab hisce Bergensis libri seu formulæ fundamentis abhorrere oportere. Rogãdus est autẽ lector, vt animũ ab omni affectu & præiudicio liberũ, inq; solius veritatis cognitionẽ, quam sẽper amplexa fuit Ecclesia, intentum ad lectionem adferat.

EX

EX COLLOQVIO, QVOD inter M. Lutherum & Carolstadium, Anno 1524. Mensis Augusti 12. Ienæ habitum fuit, sicut hoc descriptum extat in secundo Tomo Ienensi operum Lutheri Editione prima, folio 492, & 96.

CVM Andreas Carolstadius inter cætera D. Martino Luthero in hoc Ienensi colloquio obiecisset, quòd contra Christianam dilectionem non prius ab ipso admonitus & emendatus, quàm publicè & pro concione traductus esset: & quod in doctrina de sacramentis multa sibi ipsi contraria, quæq; non vera & crucifixo sed imaginario potius Christo conuenirent, scripsisset, probare se posse palam edixisset, eóque nomine se ad publicam disputationem, atque etiam ad sententiæ suæ emendationem, si melius edoceretur, obtulisset: tandem hinc inde multis inter ipsos permutatis sermonibus, exacerbato vtriq; animo, Lutherus Carolstadiũ, vt si ita omnino velit & placeat, contra se publicè scribat, inuitat, & cùm promptum ad hoc Carolstadium intelligeret, ex concitato isto animi feruore, aureum nummum extractum ex pera, ipsi offert, inquiens, En accipe, & quantum potes animosè cõtra me dimica, Age verò vergas in me alacriter. Ad quæ Carolstadius hunc aureum nummum accepturum se respondit, eúmque omnibus astantibus ostendens, dixit: En chari fratres, istud est signum & arrabo, quod potestatẽ acceperim contra doctrinam Lutherum scribendi. Rogo itaque vos, vt eius rei testes esse velitis. Cúmq; aureum nummum marsupio suo recondidisset, Luthero manum in sponsionem pacta & susceptæ contentionis porrexit, pro cuius confirmatione Lutherus ipse vicissim haustum vini propinauit, adhortãs eum ne sibi parceret, sed quantò vehementius & animosius contra se ageret, tantò

Hinc probate Spiritus.

illam sibi chariorem futurum. Hæc postquam ita Ienæ facta fuissent, Lutherus, cùm Orlamundam venisset, ibique Carolstadium inuenisset, qui ei manum beneuolentiæ causa porrigere volebat, hoc recusans, ita est ipsum alloquutus, Tu es meus hostis & inimicus. nã eius rei nomine aureum nummũ tibi dedi, &c.

Hæc, Christiane Lector, fuerunt infelicissimi istius certaminis, quod ex pacto & sponsione susceptum, tot iam annis Ecclesiam grauissimè exercuit, infausta auspicia: quæ si quis diligenter, apud se animo, sepositis affectibus, expendat, ex quo spiritu fuerint profecta, tantò rectius & æquius de Polemicis Lutheri scriptis, in quibus quod semel in inuidiam Carolstadij, & aduersariorum suorum odio defendendum susceperat, quoquo modo asserere & tueri, quàm cuiquam opinione sua cessisse videri maluit, est iudicaturus. Nec (quę deplorãda humanę fragilitatis cõditio est) magnopere est amplius admiraturus, cur adeo vehemens, & in sententia varius, sibique dissimilis in hac affectata contendendi & vincendi cupiditate fuerit Lutherus. Cętera apud se cogitabit & æstimabit pius, veritatis & pacis amans, Lector.

FVNDA-

FVNDAMENTA LVTHERAnæ doctrinæ, de Vbiquitate & corporali præsentia Christi in Eucharistia.

EX LIBRO CONCORDIÆ BERGENSIS sub Cap. 7. De sacra Cœna.

QVOD autem ad Sacramentariorum futiles & nullius momenti rationes & fundamenta, de essentialibus nempe, & naturalibus humani corporis proprietatibus, de ascensione in Cælum, & discessum ex hoc mundo, aliáque eiusmodi similia attinet, postquam ista omnia fundamentaliter & diserte ex verbo Dei, per D. Martinum Lutherum in suis Polemicis scriptis, contra Cœlestes Prophetas: Item, Quòd verba Christi adhuc firma stent: Item, In Maiore & Minore Confessione, de Sacrosancta Cœna Domini, atque etiã in alijs ipsius scriptis refutata sunt, nec quicquam post mortẽ ipsius à Sectarijs & fanaticis noui sit allatum, placet Christianum Lectorem breuitatis causa eò remittere, & nos quoque ad ista referre. Non enim nos vllis humanis, quantumuis speciosis & apparentibus ratiqnibus abduci patiemur à simplici & perspicuo sensu verborum, & Testamenti Christi, ad peregrinum intellectum, quo aliter, quàm sonant, verba, accipiuntur: sed volumus omnino, vt dictum est, hæc simpliciter

Hisce argumentis vtitur Augustinus in sermone ad infantes.

Generalis Canonisatio Polemicorum scriptorũ Lutheri.

Hoc falsò dicitur, quia Confessio Augustana ex istis fundamentis nunquam fuit intellecta.

intelligere & credere. Sunt autem nostra fundamenta, quibus post motam de hoc articulo controuersiam, semper institimus, sicut hæc Doctor Lutherus statim ab initio, in Confessione sua Maiore, contra Sacramentarios, sequentibus hisce verbis posuit & explicauit:

Ergo si corpus illi esset in pane, non esset verus Deus & Homo.

Primum Fundamentum est iste articulus nostræ fidei, quòd Iesus Christus sit essentialis, naturalis, verus & perfectus Deus & Homo, in vnitate personæ indiuisus.

Secundum, Quòd dextra Dei sit vbique.

Tertium, Quod verbum Dei verũ sit, & non mendacium.

Ergo Deus habet localem essendi modum.

Quartum, Quòd Deus plures modos sciat & habeat, alicubi in aliquo loco essendi, & non tantũ illum, de quo Suermeri nugantur, quem Philosophi localem appellant.

Lutherus refert se ad Scholasticos.

Quibus hoc loco addit Lutherus, quod à patribus Bergensibus astutè est omissum: *Scholastici enim Sophistæ*, ait, *rectè de his rebus locuti sunt, qui triplicẽ modum in aliquo loco essendi esse dicũt, Localem, vel Circumscriptiuum, Definitiuum, & Repletiuum.*

Post hæc Lutherus singulos istos tres modos explicat & secundùm definitiuum modum Corpus Christi in pane Eucharistiæ esse dicit.

Hoc negat & impugnat Iacobus Andreas.

Quemadmodum enim, ait, *consignatus sepulchri Lapis, & clausa ianua immutata manserũt, & tamen simul corpus Christi ibi fuit, vbi lapis & lignum fuerunt: Ita quoque in sacramento Corpus & sanguis Christi sunt, vbi panis & vinũ sunt, quæ immutata manent.*

Localis inclusio vel affixio.

Non multo pòst ad primũ fundamẽtũ reuertens Lutherus, Quoniam ex nostræ fidei articulo Christus Deus & Homo est, & duæ naturæ vna sunt persona, quæ distrahi nulla ratione potest, hinc colligit, quòd Christus secũdum corporalẽ & cõprehensibilem modum se possit ostẽdere, vbicunque velit: verùm quod vltra istum modum possit etiam vti alio incõprehensibili modo. Vnde tandẽ infert,

Ergo visibilis essendi modus est phantasma, quod assumi & deponi potest.

quòd

quòd ex ista vnitate personæ Dei & Hominis, humanitas Christi supernaturaliter sit & esse possit, vbicunque est Deus, id est, vbique in omnibus creaturis, & extra omnes creaturas, vt Deus, cuius hanc adfert rationem:

Vbiquitas Lutheri, & absurda de diuinitate cogitatio.

Non enim potes ait, *Diuinitatem ab Humanitate secludere, eámque in aliquem locum seponere, vbi non simul etiam adsit humanitas. Nam per hoc esses personam distracturus, & humanitatem instar tunicæ cuiusdam facturus, quam Deitas induere & exuere posset.*

Hæc & alia eiusmodi non valdè Theologica insidiosè omiserunt Patres Bergenses, & satis habuerunt, generali approbatione Polemicorum Lutheri scriptorum, tacitè esse canonizata.

Pergunt autem verba Lutheri de superioribus istis tribus essendi modis referre, quibus omnes tres modos, quos tamen Scholastici tribus diuersissimis rebus accommodãt, vni corpori Christi simul ac semel attribuunt. Sic autem habent verba Lutheri:

Verba Lutheri.

I. Essendi modus.

Itaque sic vnũ idémque Christi corpus tres modos alicubi essendi habet: Primò, modum istum corporalem & comprehensibilem, sicut hîc in terra conuersatus est, cùm locum occuparet, secundum magnitudinem suam: Hoc modo adhuc potest, quando vult, vti, quemadmodum post resurrectionem fecit, & in extremo iudicio denuo facturus est, vt 1. ad Thess. 6. dicitur: Quã apparitionem suis temporibus ostensurus est: & Coloss. 3. Cùm Christus nostra vita se manifestabit. Secundùm istum modum non est in Deo, nec apud Patrem, neque etiam in cœlo, vt insanus Suermerorum spiritus somniat: Quoniam Deus non est corporalis locus, siue spacium. Et huc pertinent isti loci, quos fanaticus iste spiritus adducit, Quomodo Christus mundum relinquat, & eat ad Patrem.

Ergo visibiliter Christus est extra Deum.

Hoc est omnẽ antiquitatem damnare.

II. Essendi modus.

Secundò habet incomprehensibilem & spiritualem modum, quo locum non occupat, sed per omnes creaturas penetrat, quo-

cunque volet, sicut meus visus (vt hoc crassum simile adducam) per aërem, lucem, aut aquam penetrat, & locum non occupat: aut quemadmodum sonus per aërem, aquam, vel parietē peruadit, nec etiam loci aliquod occupat spacium. Item, Sicut lumen & calor per aërem, aquam, vitrum, crystallum, & similia penetrat, nec locum aliquem occupat, & eiusmodi alia multa. Hoc modo vsus fuit, cùm per clausas ianuas ingrederetur. Item, In pane & vino Eucharistiæ, & sicut creditur, quòd ex Virgine Maria sit natus.

Corpus Christi confertur cū sono, splendore Solis, quod Hieronymus contra Ioann. Hierosol. dicit esse Marcioniticum.

III. Essendi modus.

Tertiò, habet diuinum, & cœlestem modum, quo vna cum Deo persona est, secundū quem certè omnes creaturas ipsi multò magis perspicuas & præsentes esse oportet, quàm secundum alterum modum: Quoniam si iuxta istum modum esse potest in creaturis, & apud creaturas, vt ipsum tamen non sentiant, mēsurent, neque comprehendant: Quantò magis secūdùm hunc sublimem, & tertium modum, mirabiliter in omnibus creaturis erit vt ipsum non mensurent, neque comprehendant, sed quòd ipse potius eas præsentes habeat, mensuret atque comprehendat? Num hoc esse, seu hunc essendi modum corporis Christi, quo vna cum Deo persona est, omnino tam longè atque procul extra omnes creaturas ponere oportet, quàm ipse Deus extra eas est: Et rursus tam altè & propè in omnes creaturas ponere, quàm Deus in ipsis est. Est enim indiuisa persona cum Deo, & vbi Deus est, ibi ipsum quoque esse oportet, aut nostra fides falsa est. Quis autem dicere aut cogitare poterit, Quomodo hæc fiant? Hoc scimus, quod ita sit, nempe, quòd sic in Deo, extra omnes creaturas, vna cum Deo persona sit. Quomodo autem hoc fiat, nescimus. Est enim super naturam, & omnem humanæ rationis captum, etiam Angelorum in Cœlo, soli verò Deo notū & cognitum. Proinde quia nobis ignotum & tamen verum est, non debemus verba ipsius prius negare, quàm certò probare possimus, quod Christi corpus nullo modo esse possit, vbicunque Deus est, & quòd iste modus essendi falsus sit, id quod Suermeri

Corpus Christi est in creaturis, & tamen ab ipsis non comprehenditur.

Incarnatio in phantasiam conuersa.

Hoc non est cum Synodis Ephesina & Chalcedonensi loqui.

isti

isti probare debent, sed hoc facere non poterunt. An autẽ Deus adhuc alios modos habeat & sciat, quomodo Corpus Christi alicubi sit, non volo per hoc negare, sed tãtùm indicare, quàm crassi nostri, hardi & stupidi Suermeri sint, quòd Christi corpori tantùm primum & comprehensibilem modum attribuunt, quamuis & ne hunc quidem probare possint quòd nostro intellectui repugnet. Neque enim vlla ratione negare velim, quòd potentia Dei tãtum possit, quod vnum Corpus simul & semel in pluribus locis esse queat, etiam corporaliter, & comprehensibili modo. Quis enim probabit, hoc Deum non posse? Quis potentiæ ipsius finem vidit? Suermeri quidem ita cogitant, Deus hoc non poterit. At quis ipsorum cogitationibus credet? & quomodo certas facient istas suas cogitationes?

Cauete vobis Orthodoxi patres.

A potentia Dei excepta est contradictio, quæ est mẽdacium. Aliter Augustinus, & patres.

EX EODEM LIBRO DE PERSONA CHRISTI capite 8.

PRopter hanc personalem Vnionem, & quæ inde consequitur, communicationem, quam diuina & humana natura in persona Christi realiter inuicem habent, hic solus homo, & nullus alius præterea homo, neque in cœlo neque in terra, dicere potest: Vbi duo vel tres cõgregati sunt in nomine meo, sum in medio illorum: Item, Ego semper vobiscum sum vsque ad consummationẽ seculi: quæ testimonia propterea etiam nos non sic accipimus, quasi apud nos in congregatione fidelium tantùm Christi deitas præsens adsit, neque talis præsentia ad Christum secundum humanitatem ipsius quicquam pertineat. Nam hoc modo etiam Petrus & Paulus, omnésque sancti in cœlo, siquidem diuinitas, quæ vbique est, in iis habitat, similiter apud nos in terra præsentes essent, quod tamen de solo Christo, & nullo alio homine sacra scriptura testatur. Verùm nos sentimus, per ista Christi verba Maiestatem hominis Christi declarari, quam ipse

Nouus Vbiquistarum scripturæ sensus ex quo sequitur vbique præsentia.

O vere infanum errorem.

Maiestas Christi secundùm Vbiquistas.

secundum humanitatem suam ad dexteram maiestatis & virtutis Dei accepit, vt videlicet etiam in assumptæ humanitatis natura & secundum hanc præsens esse possit, atque etiam sit, vbicunque velet, & præsertim quòd apud Ecclesiam hîc in terra tanquam Mediator, caput, Rex & Sacerdos, non tantùm ex dimidio. Sed tota persona Christi, ad quam duæ naturæ pertinent, diuina & humana, præsens sit, non solùm secundum deitatem suam, sed etiam iuxta assumtam humanam ipsius naturam, per quam frater noster est, & nos caro de carne, & os de ossibus eius sumus: sicut in huius rei certissimum testimonium & confirmationem sacrã suam Cœnam instituit, quòd videlicet etiam secũdum illam naturam, iuxta quam carnem & sanguinem habet, apud nos esse, in nobis habitare, operari, & efficax esse velit.

August. Caput nostrum in Cœlis est, & nos mẽbra hîc deorsum.

Nota.

Ergo in testimonium generalis vbiquepræsentiæ institutа est dominica Cœna.

Ex quo firmo fundamento D. Martinus Lutherus etiam de Maiestate Christi secundùm humanam naturã scripsit in maiore sua Confessione de Cœna Domini. Ibi enim de persona Christi sic scribit: Cùm autem Christus talis homo sit, & extra hunc hominem nullus sit Deus, necesse est sequi, quod etiam secundùm tertium supernaturalem modum sit & esse possit vbique, vbi est Deus: & quod omnia intra, & extra plena sint Christi, etiam secundum humanitatem: non quidem secundùm primum & comprehensibilem modum, sed secundum supernaturalem & diuinum modum. Nam hîc te cogitare & dicere oportet: Christus secundum diuinitatem vbicunque est, ibi est naturalis & diuina persona, & est etiam naturaliter, & personaliter ibi, sicut hoc clarè probat ipsius conceptio in vtero matris. Nam si Filius Dei esse deberet, oportebat vt naturaliter & personaliter in vtero matris esset, & homo fieret. Quod si igitur naturaliter, & personaliter est, vbicunque est, necesse est, vt ibi etiam sit homo. Non enim sunt duæ separatæ personæ. Et quemadmodum dicere potes: Hîc est Deus: sic etiã necesse est vt dicas, Ergo ibi etiam adest homo Christus. Adeo, vt si vnum aliquem locum

Doctrina Lutheri, de modo præsentiæ, quo corpus Christi est in Cœna.

Secundũ hunc modum non est noster frater.

Prorsus ineptum argumentum.

Christ⁹ est vbique homo, sed non per vbique præsentiam humanitatis.

ostende

ostendere velles, vbi Deus esset, & non etiam homo, statim dissoluta foret personæ vnitas. siquidem tunc rectè dicere possem, Hic est Deus, qui non est homo, nec vnquam factus est homo. At talem ego Christum non cuperem, quoniam hinc secuturum esset, quod locus seu spacia locorum duas naturas ab inuicem separare, & personam dissoluere possent, quod tamen nec mors, nec omnes diaboli efficere potuerunt. Et sanè admodum vilis mihi futurus esset Christus, qui non nisi in vnico loco simul esset diuina & humana persona: In omnibus autem aliis locis solus nudus & separatus Deus, seu diuina persona, absque humanitate sua. Non ita certè. Quocunque enim loco mihi Deum posueris, ibi etiam humanitatem ipsius collocare est necesse. Non enim separari seu distrahi se patitur. Facta est enim vna persona, nec separat à se humanitatem.

Vera est propter identitatem hypostasis.

Crassus de vnione personali error, in quo fundamentum corporalis præsentiæ in Eucharistia consistit

Hæc totidē verbis ex Luthero descripta extāt in libro Concordiæ Bergēsis, quæ rogo, vt omnes pij & docti, quibus veritas & pax Ecclesiarū curę est, diligēter perpēdant, an talia sint, vt pro verbo Dei & solido veræ de Eucharistia doctrinæ fundamēto, sub nomine & autoritate ordinum Augustanæ confessionis, canonisare omnino oporteat. Certè si recte sentire & iudicare velimus, negari non potest, quin iste Bergensium Patrum funestissimus conatus aliò spectare non possit, quàm vt hac Canonisatione ad omnem posteritatem erroris & hæresis suspecta, & infamis fiat Augustanæ Confessionis, qua à Pontificiis discessum est, professio. Hoc qui non vident & intelligunt, hos planè cæcos & dementatos esse oportet.

Antequam autem de his fundamentis agere, eáque excutere, & sub veritatis, Orthodoxæque fidei censuram reuocare incipiam, monendus est lector, hæc sic à Luthero anno vigesimo octauo contra Zuingliū & OEcolampadium esse scripta, quibus ipsis dogma suum de Corporali coexistentia corporis Christi in, sub, vel cum pane, omnino per-

Concordia Marpurgensis.

suadere, eósque in sententiã suam pertrahere voluit. At anno postea vigesimo nono, cùm Marpurgi initia Concordię inter ipsum, suósque Symmystas, & OEcolampadium, cum Zuinglio, Bucero, & Hedione facta essent, consensum vtrínque in hoc fuit, *Sacramentum Cœnæ Dominicæ esse veri Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum: esseque spirituale m istius veri Corporis & sanguinis sumptionem præcipuè cuilibet Christiano necessariam: verùm in eo supereſſe & restare controuersiam: An verum Corpus & verus sanguis Christi Corporaliter sint vel existant in pane. Et, quamuis hæc controuersia tunc cõponi nõ potuerit, placuit tamẽ ab vtraque parte, vt se Christiana dilectione mutuò, quantum cuiusque conscientia ferre posset, complecterentur.* Ex quo Concordiæ Articulo vtrínque placuisse constat, Sacramentum cœnæ Dominicæ veri corporis & sanguinis Christi sacramentum esse posse, etsi non concedatur, sed in controuersia maneat, an corpus Christi sit corporaliter in pane. Item, Quòd verum corpus Christi, absque hac corporali præsentia, verè & spiritualiter manducari possit. Ideóque solam illam de corporali præsentia quæstionem tanti esse non debere, vt propterea Christiana dilectio tollatur.

Status quæstionis, & controuersię, inter Lutherum & Zuinglium: in quo Papistæ magis Zuinglio, quàm Luthero accedunt.

Hæc verò cùm ita, sicut conuenerat, nec fieri nec obseruari, sed certamen hoc periculoso dissidio renouari intelligerent Martinus Bucerus & VVolfgangus Capito, magnopere sibi operam dandam existimauerunt, vt tandem hæc controuersia aliqua pia ratione componi & pax Euangelicis Ecclesiis hac parte restitui posset, id quod etiam tũc à Luthero tandem, Heluetiorum ad ipsum missa suæ sententię declaratione, impetratum fuit, sicut hoc perspicuè testatur responsoria ipsius Lutheri ad Heluetios, Anno trigesimo septimo, 1. Decemb. scripta Concordiæ Epistola, in qua cùm nihil, quod in Heluetiorum Confessionis declaratione reprehendere posset, haberet Lutherus, aperte profi-

Vide acta Concordię, edita Heidelbergę.

profitetur, sibi concordiæ rationem à Bucero & Capitone propositam placere, hortatur & precatur Heluetios, ne patiantur ab eorum Theologis aliquid contra istam concordiam vllis concionibus, vel scriptis tentari, quod & ipse quoque fideliter se facturum, Deum in testem super animam suam inuocans, sanctissimè promittit & pollicetur. Satis enim & plus satis dimicatum esse, si prodesse hoc vllo modo potuisset. sed rem ipsam testari, dissidium hoc neque sibi, neque alijs profuisse, quin potius multum attulisse dãni, ita quidem, vt nihil in eo nec boni, neque vtile quicquã fuerit vnquam neque etiam nunc inde sperãdum sit. Quibus sic à Luthero ad Heluetios, in ipso concordiæ tractatu, pro confirmando ipsorum in iam constituta cõcordia animo, perscriptis, si sincera fides, & veritas subesse & constare debet, nemo verè bonus & pius negabit, non immeritò videri, Lutherum voluisse hac ipsa animi sui tam sanctè facta contestatione, Polemica illa sua, in ipso contentionis feruore, & nimis affectata vincendi cupiditate emanata scripta, vnà cum infœlici illa controuersia, in perpetuum debere esse sopita, abolita, & abrogata.

Verba Lutheri.

Hoc expendãt renouatores Certaminis.

Polemica Lutheri scripta ab ipso in concordiæ tractatu abolita.

Quòd si itaq. hoc modo sancitæ concordiæ seruata esset fides, & ambitiosorũ hominum malignitate, quod iam benè silentio conditum & sepultum erat, malum renouatum non fuisset, non esset nunc opus, contra ista Lutheri non rectè, & ex Theologica demonstratione accommodata ad causæ suę defensionem fundamẽta, redintegrato certamine, ingrata disputatione pugnare. At verò quia Apostolus ille vbiquitatis, D. Iacobus Andreas, homo monstrosissimè audax, & impudentissimè ambitiosus, infelicissimo Germaniæ fato Theologus factus, in nouo illo suo ex Flacianica & Vbiquistica Theologia conflato seu compilato doctrinę corpore, superiora hæc quatuor Fundamenta, ad propagandos suos adeo flagitiosissimos errores,

denuo inculcat, & partim emendicatis, partim etiam potentiorum terrore & iussu extortis subscriptionum suffragijs, Ecclesiæ recipienda obtrudit, atque hac peruersè astuta agendi ratione perpetuo præiudicio veritati vim facere, & inferre conatur: omnes æqui iudicij venia & excusatione me dignum esse iudicabunt, si, in auertendo ab Ecclesia Dei hoc perniciosissimo malo, ipsam veritatem diuinā sum hominum autoritati meritò prælaturus, præsertim cùm ipsemet Lutherus ad orthodoxæ Ecclesiæ & Papatus iudicium prouocans, inde etiam de doctrinæ suæ in hac causa fundamentis iudicium sumi & ferri posse & debere velit.

Modus Recipiendi librum Bergensem.

De singulis itaque fundamentis ita agendum esse constitui, vt, si ante octingentos aut amplius annos, imò etiam inter ipsos medios scholasticæ Theologiæ Doctores, hæc causa contra quemcūque alium in Ecclesia agenda fuisset, nullus mihi ex Catholicis & Orthodoxis metuendus fuisset aduersarius & contradictor, nec aliqua inde extimescenda inuidia. Quo minus etiam magnificiēdum esse censeo, quid in hac rerum Ecclesiasticarum misera confusione & perturbatione nunc iudicaturi de hoc nostro instituto sint schismaticæ factionis Antesignani.

DE PRIMO FVNDAMENTO.

Ab vnitate personę Dei & hominis Christi.

Est autem primum illud Lutheri fundamentum, Articulus nempe fidei, de indiuisa personæ Dei & hominis veritate: cuius fundamēti, si ad aliquam argumentationis formā redigatur, hæc ipsius futura ratio & consequentia erit:

Christus est verus, naturalis, & perfectus Deus & Homo, in inseparabili personæ vnitate.
Ergo Corpus Christi realiter, & corporali præsentia est & existit in pane Dominicæ Cœnæ.

Ratio

Rationem argumenti & consequentiæ inde sumit Lutherus, Quòd, quia propter indiuisam illã vtriusq; naturæ in Christo hypostaticam vnionem, nullibi sit, vel esse possit diuinitas, vbi etiam non simul realiter adsit, siue coexistat assumta humanitas: Ergo hinc necessariò sequi quòd etiam corpus Christi realiter, & corporali præsentia vnà cum diuinitate sit in pane. Alioquin, ait Lutherus, si vllus locus dari & ostendi posset, vbi esset diuinitas Christi, & non simul etiam coexistens adesset humanitas, iam dissoluta foret personæ ipsius vnitas:

Ratio consequẽtiæ in primo Lutheri fundamento à generali vbique præsentia, ad specialem in pane Eucharistiæ.

Quam consequentiæ istius fundamenti rationem hoc argumento confirmat:

Humanitas Christi, ait, consideranda est extra & supra omnes creaturas, simpliciter in ipsa deitate: atque hinc colligit & iudicat fides: Extra creaturas nihil est quàm Deus.

Et humanitas Christi secundum hoc est etiam extra creaturas.

Ergo necesse est, vt vbi est Deus, ibi etiam sit eius humanitas. Et hoc nunquam fallit.

Argumenta Lutheri pro vbiquitate corporis Christi, ab vnione personali.

Sed age excutiamus hoc argumentum Lutheri, & seposita pauliſper tanti viri autoritate, quasi ab alio adductum esset, tanto liberius ex ipsa rei veritate in rationem ipsius inquiramus. Etsi autem tale sit argumentum, quod, si verum dicere licet, in materia & forma turpissimè peccet: tamen adeò magni adhuc à Flacianis & Vbiquistis, præcipuè verò à Patribus Bergensibus fieri constat, vt toti terrarum orbi Vbiquitatem, seu omnipræsentiam carnis Christi per hoc, vel sola Lutherani nominis autoritate, se non tantùm persuadere posse existiment, sed etiam prorsus obtrudere velle, violenter enitantur.

Venerabiles patres Bergẽses.

Ad ipsum igitur præsuppositum primò quod attinet, quo dicitur, *Humanitatem Christi considerandam esse extra*

Præsuppositum Lutheri, quomodo humanitas Christi in vnione sit considerãda.

omnes creaturas, simpliciter, in ipsa diuinitate: veteor ne non sit Theologicum. Certè in re tãta magis considerate, mysterióque incarnationis conueniens, dictum esse mereba tur. Dico itaque humanitatem Christi, quoad veritatem naturæ sic esse considerandam, sicut est à nobis, vt semen Abrahæ, assumta, per cuius assumtionẽ Filius Dei verbũ est non phantasmaticè, sed verè incarnatus, & nobiscum ὁμούσιος homo factus, caro de carne, & os de ossibus nostris. Secundùm igitur hunc cõsiderationis modũ assumta humanitas Christi est, & perpetuò manet creatura, etiam in ipsa vnitate personæ cum verbo. Alioquin hæc persona non esset verè Deus, & homo. Quatenus verò hæc humanitas non in propriæ suæ naturæ, sed in æterna Dei verbi persona subsistit, & personaliter sustẽtatur, concedi & verum esse potest, humanitatem Christi considerandã esse extra & supra omnes creaturas: quia videlicet nõ est alicuius hominis, seu creatæ personę humanitas: sed per hypostaticam vnionẽ super omnes creaturas exaltata, Filij Dei assumta humanitas, & vna cum Deo persona est. Sic enim extra & supra omnes creaturas esse rectè dici, & intelligi potest, quod personale suũ esse non habet in creatura, sed super omnes creaturas personali subsistentia sua exaltatum est in Deo.

Quomodo humanitas Christi consideranda sit extra creaturas.

Hęc est μετουσίωσις humanæ naturę Christi.

Illud tamen, quod in præsupposito dicitur, Humanitatem Christi simpliciter esse considerandam in Diuinitate, etiam de personali subsistentia intellectum, explicationem desiderat. Non enim diuinitas hic de οὐσίᾳ, hoc est, toti Trinitati communi natura, sed de hypostasi verbi Dei accipitur. In hac enim tantùm personali subsistentia sua extra creaturas consideratur humanitas Christi, vt τόδε τι. Alioqui si simpliciter hoc modo in diuinitate considaretur, tota per hoc crederetur incarnata Trinitas. Et hinc probè dicunt Scholastici: *Incarnatio & vnio non est*

Humanitas Christi non simpliciter vt in Deitate, sed in Dei verbi persona subsistens cõsideratur.

facta

facta in natura, sed in persona. & Augustinus: *Christus in forma Dei, qua creator est, formam servi, secundum quam creatus est, solus habet personaliter in semetipso.* Proinde sic rectè explicandum est illud alioqui inconsideratè dictum, & ambigui sensus presuppositū. Nēpe: Humanitas Christi, non vt in propriæ suæ naturæ, sed in æterna Filij Dei persona subsistens, est consideranda. Hoc enim modo, vt Augustinus ait, est in Deo, hoc est, Dei verbi, & non alicuius hominis per se humanitas, sicut voluit Nestorius. De fide ad Petr. cap. 2.

Deinde quod attinet ad Maiorem propositionem argumēti, qua dicit: *Extra creaturas nihil est quā Deus:* illa si tantū valeat, & hoc sensu explicetur, ac si quis diceret: *Quicquid non est creatura, est Deus,* vera est & concedi potest. Nam inter deitatem & creaturam, nihil, vt Iustinus ait, potest esse medium. Quod si verò ex superioris præsuppositi explicatione ita intelligatur: *Extra creaturam nihil aliud est quàm Deus,* hoc est, Quicquid extra creaturam personalem subsistentiam habet, est Deus: tunc est falsa. Humanitas enim Christi, etsi personali sua subsistentia, vt dictum est, in Deo, & extra creaturas sit, tamen non est Deus. Maior propositio argumenti dubia & ad sophismatum præstigias comparata. Talium propositionum puduisset Scholasticos.

Minor autem propositio, *Humanitas Christi secundum hoc,* id est, ex superiore præsuppositō, *est extra creaturas:* si aliter quàm de personali subsistentia, qua in vnitatem personæ cum filio Dei est assumta, intelligatur, non est vera. Siue enim in vnione, siue extra vnionem consideretur humanitas Christi, vbicunque ea sit, per veritatem naturæ suæ non desinit esse creatura, nec per modum præsentiæ suæ transponitur extra genus creaturarum. Quatenus autem est & manet creatura, nunquam desinit etiam esse finita, & certo quantitatis suæ spacio, velut intrinseca suę naturæ proprietate circumscripta, contineri. *Non enim,* inquit Ambrosius, in libro de Spiritu san

cto, *Creatura dicenda est, quæ non habet finitam, determinatámque substantiam.* Aut igitur minor hæc propositio, vt falsa, non conceditur, aut quatenus vera esse potest, ex iusta dispositione terminorum syllogismi non cõgruit ad propositionem maiorem, sed quatuor inde termini fiunt, cùm propositiones in hunc modum, vt verę sunt, disponuntur:

Quicquid non est creatura, est Deus.
Humanitas Christi personali sua subsistentia, quæ est τόδε τι, est extra creaturas.

Ex quibus nihil Syllogisticè & concludenter inferri potest.

Denique & conclusio, quam facit Lutherus,

Ergo necesse est, vt ibi sit humanitas Christi vbi est Deus:

Non sequitur ex sua dispositione argumenti, sed vt maior propositio requirit, talis esse debebat conclusio. *Ergo humanitas Christi est Deus*: quod pari ratione falsum est, quia in minore propositione asseritur, Humanitatem Christi sic esse extra creaturas, quòd vbicunque hoc modo sit non sit tanquam creatura, hoc est naturalibus creaturæ proprietatibus obnoxia & definita.

Sic præsens est in vnione humanitas, sicut est assumta.

Potest autem istius à Luthero factæ conclusionis, quamuis ex præmissis nõ sequatur, duplex esse intelligentia. Aut enim sic intelligitur, quòd humanitas Christi non sit alibi, quàm vbi est Deus, hoc est, vt suprà dictum est, personali subsistentia sua in Deo, & non in creatura, seu creato suppositо, & tunc est vera. Aut verò intelligitur, quòd, vbicunque est Deus per naturæ infinitatem, ibi etiam simul adsit humanitas per naturæ veritatem: quod sicut est falsissimum, ita quoque ex isto mirifico argumento non rectè infertur.

Quod si

Quòd si propositiones huius argumenti, quatenus veræ esse concedi possunt, rectè disponantur, talis inde Syllogismus, & non alius, effici potest:

Quicquid personali subsistentia sua est extra creaturas, est in Deo.
At humanitas Christi hoc modo est extra Creaturas.
Ergo est in Deo.

Ad Dardanum.

Non est autem consequens, ait Augustinus, vt, quod in Deo est, sit vbique vt Deus. Est enim humanitas Christi in Deo, hoc est, personali subsistentia vnita Deo, secundũ veri corporis modum, quo non est vbique, sed in aliquo cœli loco.

Adfert verò Lutherus & aliud non melioris monetæ argumentum, quod ipse in Polemicis suis scriptis priore loco ponit. Est autem eiusmodi:

Extat in libro Bergensi cap. 8. de persona Christi.

Cùm Christus Homo sit supernaturaliter vna cum Deo persona:
Et extra hunc hominem nullus sit Deus:
Ergo sequitur, quòd supernaturaliter esse possit, vbicunque est Deus, ac per hoc omnia intus & extra plena sunt Christi, etiam secundum humanitatem, non quidem priore incomprehensibili, sed diuino, & supernaturali modo: Quia vbicunque est Christus secundum Diuinitatem, ibi est naturaliter diuina persona, & est naturaliter & personaliter ibi. Ergo etiã ibi est vt homo. Non enim distincta sunt personæ, sed vna, adeò vt dato aliquo loco, vbi esset Deus, & non etiam ipse homo, statim dissoluta foret personæ vnitas, cùm verè tunc dici posset: Hic est Deus, qui non est, neque fuit homo.

Mirabile sophisma.

Vna est in Christo persona, sed duarum naturarum perpetuò diuersa proprietas.

Ista verò Lutheri talia sunt, quæ perpetuo silentio se-

pulta manere multò esset satius, quàm accuratam de iis disquisitionẽ instituere, nisi hæc à Patribus Bergensibus nunc rursus renouata, ad tollendã in Ecclesia rectè & cum Orthodoxa antiquitate sentiendi libertatem, pro certa & immota fidei norma, à qua dissentire sit capitale, per Tyrannidem etiam inuitis & reluctantibus obtruderetur.

Non opinor autem, quenquam ex omnibus Vbiquistis facilè futurum, qui admirabilis istius argumenti rationem in recta propositionũ ipsius connexione sit intellecturus, & explicaturus. Praterquam enim quòd propositiones istius argumenti non continẽt formam sanorum verborũ, quibus in hoc personalis vnionis mysterio circunspectè vsa fuit Orthodoxa Vetustas, etiam prorsus sunt ἀνυπόστατα, seu non cohærentes. Nam prior illa, seu Maior propositio: *Christus Homo est supernaturaliter vna cum Deo persona*: si de humana natura, per cuius assumtionem Deus est homo, intelligatur. vera est & concedi potest. Sicut enim super naturã est, quod Verbum caro factum est, ita assumta humanitas, seu humana natura Christi, qua non est alicuius hominis per se, sed Filij Dei humanitas, supernaturaliter est vna cum Deo persona. Quod si verò Christus, Homo, in concreto non de natura, sed de hypostasi, quæ assumtã & subsistentẽ in se habẽs humanã naturã est Homo, intelligatur, non est vera, sed erronea propositio. Quia ista hypostasis seu concretum, Homo, cùm sit idem quod Deus verbum, quamuis incarnatum, non est supernaturaliter, sed naturaliter vna cum Deo persona. Alioquin Christus homo aliud per hypostasin esset à Deo, cum quo tantũ supernaturaliter, & non identicè, vna esset persona, quod est Nestorianum. Nestorius enim aliter dicebat verbum esse Deum natura, aliter verò hominem Christum, supernaturali quadam dignitate & connuncupationis gratia, qua Verbum & Homo vnus esset Christus.

Maior propositio sophistici argumenti.

Apparet

Apparet Lutherũ nimio contentionis studio & feruore non satis diligenter, sicut fieri in hac causa oportuit, obseruasse discrimen Concreti, hoc est, personæ, quæ est homo, & Abstracti, hoc est, naturæ, qua est homo. Quoniam in vnione naturæ per assumtionem accessit personæ, ideóque prior est persona assumens, quàm natura assumta. Hunc autem errorem suum cùm ingenuè fateatur Lutherus, quo pudore à Patribus Bergensibus denuo inculcatur, & Ecclesiis recipiendus obtruditur?

Personalitas est in verbo, ante assumtionem humanę naturæ.

Altera seu minor propositio, *At extra hunc hominem Christum nullus est Deus*: non solùm cum priore nulla syllogistica forma & dispositione cohæret, sed & quid sibi hisce verborum involucris, & inusitati in Ecclesia sermonis sententia voluerit Lutherus, vix ac ne vix quidem intelligi potest. Quod si enim iste sensus esse debeat: *Extra hominem Christum*, id est, antequam homo fieret Christus, non fuisse Deum, falsa erit hæc & Photinianam hæresin sapiens propositio. Paulus, cùm veteris Testamenti Patres de spirituali Petra Christo bibisse scribit, Deum, qui Christus est, etiam extra hominem, hoc est, antequam homo fieret, fuisse docet. 1. Corinth. 10.

Quod si verò homo Christus in Concreto intelligatur, de hypostasi, seu persona, quæ est homo, iste futurus erit sensus: *Extra hominem Christum*, id est, extra personam, quæ per assumtam humanitatem homo Christus est, non est Deus. Hoc autẽ non simpliciter, sed quantum ad Deum verbum solummodo concedi & verum esse posset. Itaque tãdem ponamus hunc esse sensum. Extra hominem Christum nullus est Deus, id est absque homine Christo non est Deus, Filius scilicet Dei, homo factus: & tunc vera quidem est hæc propositio, quia Deus Verbum nusquam est, nisi incarnatus. Verùm quia nõ rectè à

Quomodo Lutherus intelligat minorẽ propositionem.

Lutherò explicatur, aut propter falsam explicationem non conceditur, aut quatenus vt vera concedi potest, nihil facit ad propositum seu rationem argumenti, quo vti voluit Lutherus. Vt enim ex sequentibus, quibus dicit: Omnia intus & extra plena esse Christi, etiam secundum humanitatem, colligi potest, sic scabrosam istam propositionem suam ab ipso intellectam fuisse constat: Extra hominem Christum, id est, extra assumtam humanam naturam Christi, nullus est Deus, hoc est, Deus per suam essentiam non excedit naturam assumtam, neclarius ea patet ipsius diuinitas, quàm assumtæ humanitatis existentia. Sed vbicunque Christus est secundum Diuinitatem, ibi est etiam secundum humanitatem. Quo sensu si vera esse debet hæc propositio, Vtriusque naturæ per Vnionem in Christo adæquationem, qua vtraque pariter sit infinita, immensa, incircumscripta, & tota vbique tota, factam fuisse præsupponi est necesse. At hoc est falsissimum, & hæretici erroris in Synodis Chalcedonensi, & Constantinopolitana Sexta condemnatum. Rectius itaque Athanasius de incarnatione Verbi inquit; *λόγος non est colligatus corpori, sed ipse corpus continet, vt sit in eo, & extra omnia, & in sinu Patris, nec, cùm sit in omnibus, sit pars aliorum.* Et Nyssenus: *Qui omnia comprehendit, & per quem omnia consistunt, nihil extra se rerum omnium habet, & tamen monetur, & locum mutat.* Alioqui ex illo falso præsupposito secuturum esset, quod, cùm in vtero matris assumeretur caro & humanitas Christi à Verbo, non fuisset tunc etiam extra hanc assumtam humanitatem, sed tota Diuinitatis Maiestas ad paruum hoc corpusculum in vtero Virginis contracta, quod in Epistola ad Volusianum prolixè refutat Augustinus: aut quatenus tunc Deus Verbum etiam in cœlo, & apud Patrem fuit, vnde nunquam recessit, separatum & absque

Absurda & falsa Lutheri sententia.

Apud Theodoretum.

Epist. 3. & lib. 1. cap. 19. de incarnatio.

que homine Deum fuisse. Proinde contra hanc naturarum in Vnione adæquationem rectè pro Chalcedonensis Synodi defensione aduersus Eutychianos disputat Virgilius Martyr: *Itaque secundum vos Eutychianos*, inquit, *si vna Verbi & carnis est natura, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut Caro cum Verbo vbique est, siquidem vna natura non suscipit aliquid contrarium in seipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, circumscribi loco, & vbique esse. Ergo quia Verbum vbique est, Caro autem eius non est vbique, apparet, hunc vnum, eundemque Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri, secundum naturam humanitatis suæ.* Et Damascenus: *Verbum seu λόγος incarnatum corporaliter contractum & circumscriptum, Diuinitate verò incircumscriptum, nec carnem ipsius cum incircumscripta Deitate coextensam esse*, dicit. Quod etiam rectè intellexit Thomas Aquinas contra Gentiles: *Christus homo* inquit, *in hoc differt ab alijs hominibus, quòd in alijs hominibus euinstibet natura est adæquata cum sua hypostasi: aliter verò se res habet in Christo. Ideo, quod humana ipsius natura sit finita, hypostasis autem, in qua subsistit, est infinita.*

Nota. Vna Christi humanitas non potest in se, etiam in Vnione, suscipere cõtrarias proprietates.

lib. 3. cap. 7. Caro in Vnione est corporaliter contracta.

In hoc aberrauit Lutherus.

Hinc receptissima omnium Scholasticorum, in definienda hac quæstione: *Vtrum Christus, secundum quod homo fuerit in determinato loco, an verò vbique*, sententia est, quod quia in Christo vnitæ naturæ, ex quibus in vnam hypostasin compositus est, non sunt eiusdem rationis, sed longè diuersissimarum proprietatum, quas in Vnione saluas vnaquęque conseruat: Natura enim humana est visibilis, palpabilis & finita: Diuina autem est inuisibilis, infinita & immensa. Ex quo perpetuo & immutabili discrimine proprietatũ Christus nunquã incipit secũdũ vtrãq;

naturam esse inuisibilis, impalpabilis, immensus, & incircumscriptus.) Ideo nō est consequens, vt quāuis vtraque natura Christi inseparabiliter vnita sit in vno supposito, propterea, vbicūque est diuinitas, ibi etiam præsens adsit, & coexistat humanitas. Eò quòd persona assumens, propriæ suæ naturæ infinitate, excedat naturam humanam assumtam, de quo sic Damascenus: *Caro Christi est deificata, non tamen naturæ suæ transmutationem passa, nec proprios egressa terminos.* Lib. 3 cap. 15.

Et Bonauentura Scholasticus: *Impossibile est, vt humana natura, quamuis vnita sit Verbo, sit vbicunque est verbum. Aliqui, quoniam istud hic vel illic esse, dicit situm existendi, humana natura esset immensa, & existentia ipsius adæquaretur existentiæ verbi. Quod enim vbique est Christus, diuina ipsius natura proprietas est, quæ vni & soli Deo, propter infinitam immensitatem, competit, & nulli omnino creaturæ, ac ne ipsi quidem humanæ naturæ Christi in vnitate personæ tribui, & communicari potest, sicut nec ipsi communicari potest omnipotentia, nisi quatenus etiam ei communicatur nomen & excellentia Deitatis, hoc est, per idiomatum communicationem, quæ ortum habet ex unione personali. Nam eodem modo, quo dicere possumus, Homo est Deus: Sic etiam eodem modo dicere possumus, Homo est omnipotens. Vt autem nomen, & excellentia Deitatis nulli omnino communicari potest velut forma & proprietas eidem substantialiter, vel accidentaliter inhærens, sic etiam nec omnipotentia ipsi potest communicari.* Lib. 3. dist. 14. art. 2. quæst. 3. Lib. 1. dist. 37. qu. 1. Lib. 3. dist. 14. qu. 3.

Eáque est omnium Scholasticorum Theologorum recepta & approbata sententia, quibuscum consentire videri vult Lutherus. Contra Vbiquitas. Thomas. 3. parte sum. qu. 10. & 13. Gabriel Biel lib. 3. dist. 13. & 14.

Itaque ex hac plenum, totiusque Orthodoxæ Ecclesiæ doctrina vera Idiomatum, quæ ex unione personali existit, communicatio, est vtriusque naturæ proprietatum in vnitate personæ Christi facta permutatio, per

quam

quam non alicer naturatum proprietates, quàm ipsæ naturæ, in vna hypostasi per vnionem & subsistentiam communicant, eóque modo & sensu, sicut ipsa vnio est substantialis, sic etiam hæc idiomatum communicatio est realis, quia de subiecto, hoc est, de persona dicitur, quod ipsi *vere* & realiter inest, quamuis alterius naturæ respectu tantùm. Cæterum quia subiectum in hac prædicatione non est natura, seu nomen abstractum significans naturam: ideo vnius naturæ proprietas alteri naturę non communicatur. Hoc enim naturatum confusionem esse, omnes veteris Ecclesiæ Patres ex Orthodoxo isto principio dicunt: *Quarum naturarum substantiæ differunt, earum etiam necessariò differentes sunt proprietates, & actiones, & contra. Quorum actio & proprietas vna est, eorum etiam vna est natura, & substantia.* Proinde sicut per Nestorianam vnionem, quæ est secundum Assistentiam, & omnis dignitatis, gloriæ, atque auctoritatis æqualitatem, Diuinitas Christi immensitate suæ naturæ & personæ, excedit finitam hominis formam, sic nonminus per hypostaticam vnionem, quę est secundum personalem subsistentiam vtriusque naturæ in vna & communi hypostasi, Diuinitas Christi eodem modo excedit naturam assumtam. Non enim per hunc vnionis modum finitæ naturæ humanæ, quæ sola hypostasi Dei verbi, differt hæc assumta natura, ab vnione Nestoriana, nisi sola præcipuè personali illa in Deo subsistentia. Nam, etsi inter Cyrillum & Nestorium de vnionis ratione secúdum hypostasin controuersia esset, de duabus tamen naturis, & ipsarum perpetuò manentibus proprietatibus, nullum dissidium, sed summus inter eos consensus fuit, sicut hoc Cyrilli ad Eulogium Epistola testatur. & inquit *& in causa Nestorij, quamuis de duabus naturis, discrimen carnis & verbi significans, dicat: Nam alia certè natura verbi, alia carnis*

Communicatio idiomatum quo modo sit Realis.

Thom. 3. parte qu. 16. arti. 1. 2. 4. & 5.

Damascen. lib. 3. cap. 3. & 19.

est) vnionem tamen nobiscum non cõfitetur. Nos enim hũ vnitis, vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur. Itaque nosse duarum naturarum discrimen, non est vnum Christum in duo secare.

Differimen inter Cyrillum & Nestoriũ, quod nesciuit Iacob. Andre. fol. 115. contra Bezam.

Non igitur propter aliam causam damnatus fuit Nestorius, nisi quòd negaret duas naturas, & naturalem vtriusque proprietatem in vna hypostasi esse subsistentem.

Ex quibus perspicuum est, erroneam esse Lutheri imaginationem, de adæquatione naturarum, secundum Vbiquetæ præsentiam, vel coexistentiã per vnionem, quam ista sua intricata, & obscurissimi sensus propositione insinuare voluit. Nã si Deus infinita immẽsitate sua qua omnia replet, nõ est extra hominẽ, id est, humanã naturã assumptã, omnino hinc naturarũ adæquationem sequi, hoc est vtrãque naturã in Christo simul inuisibilẽ, impalpabilẽ, & infinita immẽsitate sua incircũscriptã esse, cõtra Chalcedonẽsis cõcilij definitionẽ cõcedi est necesse. Quinetiã falsum erit, Filiũ Dei per assũptionẽ finitæ & localis naturæ humanæ, propter vnionẽ, esse finitũ & localẽ hominem.

Hue & Patres Bergenses.

Tales imaginationes ex personali vnione duarum naturarum in Christo etiam olim in hæreticis fuisse, testis est Athanasius & Maxentius. Cùm enim hanc secundum hypostasin vnionem, in qua vtraque natura, saluis & inconfusis inter se proprietatibus, personali subsistentia subsistere natura, non intelligerent hæretici, quærebant, *Quomodo ad paruum corpusculum vnitur incapabilis, & cum inircumscripto circũscriptus? Aut enim hinc Diuinitatis contractionem, aut carnis extensionem concedere oportebit.* Hunc pertinuit quod contra eiusmodi imaginationes Hilarius scribit: *Nequaquam secundum nostra imbecillitatis intelligentiam, & experientiam rerum, quæ sentimus de dogmatibus iudicantes, ex æqualium inter se creaturarum mixtione existimemus mixtum esse Deum & hominem, & talem confusionem*

Vide Orthodoxum consensum

Idem apud Augustinum. Epi. 3.

Apud Theodo. Dial. 2.

nem

nē verbi & carnis, qualis in corporibus sit, credamus, nec cogitemus, more & modo rerū confusarū, duas naturas in vnam coaluisse personā. Christus enim vbique simul totus existēs, mixtus est humana natura, nec tamē hominis natura mixta est diuina.

Denique concluſio, quam ex iſtis duabus prę̄miſſis ſic infert Lutherus: *Ergo ſequitur, quod Chriſtus homo ſupernaturaliter eſſe poteſt, vbicunque eſt Deus:* etſi nullum, vt ex ſupradictis liquet, argumenti Elenchum in ſe contineat, tamen, ſi in Concreto de perſona, quæ homo eſt, intelligatur, cùm hæc idem ſit quod Deus, concedi poteſt. Sicut autem hęc perſona naturaliter eſt Deus, ita quoque naturaliter eſt vbique vt Deus. Aliàs ſi homo Chriſtus non ideo, quia Deus eſt, vbique eſſe dicatur, duas in hac cōcluſione ſua cū Neſtorio hypoſtaſes, & non obſeruato Concreti & abſtracti diſcrimine præſupponit Lutherus, ſicut hoc paſſim cōtra Bezā & Heidelbergenſes facit Iacobus Andreas, qui aliter Chriſtū Deū, aliter hominē Chriſtum vbique eſſe cōtendit. Quod ſi verò in Abſtracto, de aſſumpta humanitate Chriſti, intelligatur cōcluſio, ſicut eā poſtea Lutherus explicat, inquiēs: *Si Chriſtus eſt vna perſona in Diuinitate & humanitate: Ergo neceſſe eſt, hāc humanitatē ſimul eſſe vbique in cælo & in terra:* negatur, vt falſa. Nā etſi humanitas ſupernaturaliter et vna cum Deo perſona ſit, tamen per hoc naturales ipſius proprietates non mutantur. Sicut enim hęc admirabilis perſonę vnitas duabus naturis, ita etiam duabus differentibus proprietatibus conſtat. Itaque per hanc perſonalem in Deo ſubſiſtentiam, non magis vbique, aut plurib⁹ in locis eſſe cōtingit humanitatem Chriſti, quàm inuiſibilem, impalpabilem, incircumſcripram, & infinitam eſſe.

Concluſio pro Vbiquitate humanæ naturæ.

Falſa Lutheri illatio pro Vbiquitate.

Vnio non mutat rerum vnitarum proprietates.

Quod autem ſubiicit Lutherus: *Omnia eſſe intus & extra plena Chriſti, etiam ſecundum humanitatem, atque* vt contra Suermeros ſcribit, *in igne, & aqua, in laqueo,*

non quidem primo, & comprehensibili, sed Diuino & supernaturali modo: per hoc tertium illum & Repletiuum essendi modum, de quo infra circa quartum fundamentum dicetur, intelligit. Et quoniam per hunc solum modum humanitatē Christi supernaturaliter vnam cum Deo personam esse dicit, naturalem, & comprehensibilem humanæ naturæ modum, secundum quem tamen est assumta, & verbum est incarnatū, ab vnitate personæ imprudēter cum Nestorio excludit. Nam sic dicebat Nestorius: *Propter indutum veneror indumētum, & propter occultum adoro visibilem: indiuisibilis à visibili Deus.* Itē: *Thomas tetigit eum, qui resurrexit, honoro autem illum, à quo resuscitatus est.*

Verè delirus error.

In actis Synodicis.

Porrò, quod pro argumenti sui confirmatione adfert Lutherus, *Vbicunque Christus est secundum Diuinitatem, ibi est naturaliter, & personaliter, Ergo ibi etiam est vt homo. Non enim duæ distinctæ sunt personæ, sed vna:* In eo non valet illatio à persona ad naturam assumtam. Et est ratio. Cùm enim in Christo Domino nostro duas in vna quasi compositæ hypostasi naturas agnoscamus, quarum altera, hoc est, Diuina, connaturalis est suæ hypostasi, altera verò ab ea dicitur consustentata, indeque persona Christi in vtraque hac natura subsistens, cuiusque naturæ concreto vocabulo nunc Deus, nunc homo dicatur, propter vtriusque naturæ proprietates in se susceptas: hinc fit, vt de persona quidem, siue ex vtraque simul, siue ab altera tantùm natura appellata, vtriúsque naturæ propria verè & realiter dicantur. Attamen quia hæc suæ cuiusque naturæ, cui per se insunt, respectu tantùm dicta intelliguntur, non semper procedit illatio à persona ad ipsam naturam, cuius concreto vocabulo, propter hypostasis in vtraque natura identitatem, appellatur. Et hoc est quod Scholastici dicunt, *Ea quæ per hypostaticam vnionem in Christo per cōmunicationem Idiomatum dicuntur, vera sunt de persona, &*

Personalis essendi modus est in verbo.

Sic Damasce. lib. 3. c. 4. & Vigilius.

Leo Romanus in Epistola ad Flauianum.

Cur non valeat illatio à persona ad naturā, cuius concreto vocabulo persona appellatur. Vide Ortho. Confēs. fol. 122.

non

non de natura. Sic quoties ab altera,& connaturali ſua natura vocatur Deus, & Dei filius, rectè dicitur: Deus eſt perſonaliter ex Maria virgine natus,& paſſus: ſed quia hęc tribuuntur perſonæ, ratione & reſpectu conſuſtētatæ humanæ naturæ,cui per ſe inſunt,non valet iſta illatio: Ergo Chriſtus Deus ſecundum vtramque naturam, etiam Diuinā, eſt ex virgine natus, & paſſus. Quod cùm Lutherus non ſatis diligenter animaduerteret, ſic inconſiderat è, nō alio ſanè, quàm mero contendendi & vincendi ſtudio,cōtra Zuinglium ſcripſit, *Eſſi verum ſit, Deitatem non pati & mori, tamen quia Deitas & humanitas in Chriſto vna ſunt perſona, ideo ſcriptura propter hanc vnitatem perſonæ etiā Deitati tribuit omnia, quæ humanitati accidunt, & è contra.* Quæ tamen Lutherus, ſeipſum explicans, ſtatim, vt non rectè de mutua Idiomatum & proprietatum in ipſis naturis communicatione & permutatione dicta, corrigit, & non tam de naturis, quàm de perſona, & ſecundum aliquam ipſius partem, hoc eſt, alterius naturæ reſpectu tantùm per Synecdochen accipiendum eſſe,declarat. *Perſona enim eſt,* ait, *quæ omnia facit, & patitur, hoc quidem ſecundum hanc naturam: Illud verò ſecundum alteram naturā.* Iſta autem ſi vera ſunt,& per Synecdochicam prædicationem de tota perſona dicuntur, quæ tamen ipſi ſecundū alteram eius partem ſeu naturam tantùm competunt,falſa eſt Vbiquiſtarum realis Idiomatum communicatio in naturis: ſed quæ de perſona per communicationem Idiomatum dicuntur, vera eſſe poſſunt,etiam alterius naturæ reſpectu tantúm. Ideo enim perſona Chriſti omnes vtriuſq; naturæ proprietates in ſe ſuſcipit, quia hæc perſona, quæ eſt hypoſtaſis diuinę naturæ,per naturā,ſe facit hypoſtaſin naturę humanę per vnionis gratiā.Itaq; quod Deus paſſus eſſe dicitur, ſi non de Diuinitatis natura, ſed de perſona, quæ Deus eſt, intelligatur, atque ſic toti perſonæ tribua-

Sic colligit Iacobus Andreas contra Bezam, fol.116.

In Confeſſione Maiori. Extat in libro Bergenſi, cap. 8. Iacob. And. Theſi Tubing. 19.

Hæc ſupradictis non conſentiunt,& ſine causa contra Zuinglium dicuntur, qui hæc laudat, & approbat.

Nota hanc regulam.

tur, quod tamen ei ſolummodo ſecundum alteram ipſius naturam vel partem competit, ſicut hoc diſertè vult Lutherus, quid quæſo hoc reipſa aliud eſt, quàm ſi hæc per Allœoſin & Enallagen ſic dicta eſſe intelligãtur, vt Zuinglius & OEcolampadius voluerunt, qui in hac locutione *Deus eſt paſſus:* Vocabulum, *Deus*, non in Abſtracto, pro Deitatis natura, ſed in Concreto, de perſona, aſſumtæ tantùm naturæ reſpectu, intelligi oportere dicebant, Eóque modo Deum, hoc eſt, perſonam, quæ Deus eſt, verè paſſã & mortuam eſſe non negabant, ſed rectè & ingenuè fatebantur? Cùm itaque non in ſermone & ſcriptura, ſed in ſenſu & intelligentia ſit hæreſis, vt ſapienter Hilarius ait, cauſam non habuit, cur Allœoſis vocem tanta cum animi & affectuum impotentia, quaſi pro execrandiſſima hæreſi, exploderet Lutherus, vbi nihil eſt, quod in re, ſeu iuſta ſermonis intelligentia & explicatione reprehendi poſſit. Nam & ſic Athanaſius: *Quæ humana natura paſſa eſt, ea ſibi λόγος accommodauit. Hinc quæ corporis propria ſunt, de tota perſona dicuntur. Sicut enim corpus illud animatum, quod ſibi verbum vnîuit, proprium ipſius corpus eſt, non natura, ſed per œconomiam & diſpenſationem. Ita quoque Paſſio atque Mors ipſius eſſe dicitur, non ratione naturæ, quæ omnis paſſionis expers eſt, ſed ſecundum vnitionis OEconomiã.* Et Auguſtinus: *Filius Dei mortuus eſſe dicitur, pro ea natura, quæ mortem vtique recipere poterat. Quicquid enim patitur caro vnita verbo, debet dici Deus pati, licet verbum nec pati nec mori poſſit: Sed quicquid horum paſſus eſt, in carne paſſus eſt.* Item: *Filius hominis ſecundum Deum erat in cœlo, & filius Dei ſecundum hominem crucifigebatur in terra. ſic ergo rectè potuit dici Deus gloriæ crucifixus.*

Allœoſin & Enallagen vocant Patres.

Apud Theod. Dial. 3. & dialo. 4. de Trinit.

Lib. 2. de incarnati. verbi, & apud Magiſt. ſentent.

Eodem modo ſe res habet, cùm ab altera & conſuſtentata natura Chriſtus vocatur Homo, ſeu hominis Filius. Nã & tunc ſimiliter quoque rectè dicitur, Homo perſonaliter

ter est Deus. Creator, in circunscriptus, &, vbique. Istud autem quoniam de tota quidem persona, verùm nõ respectu consustentatæ humanæ naturæ, à qua dicitur homo, sed ratione tantùm connaturalis naturæ Diuinæ, cui hæc competunt, dictum intelligitur, non sequitur, nec valet talis illatio à persona ad naturam: *Homo Christus personaliter est vbique: Ergo humanitas ipsius est vbique*: Id quod omnium flagitiosissimo errore contra Heidelbergenses asserere & defendere ausus est Iacobus Andreas sic inquiens: *Apud omnes recte sentientes prorsus similis & eiusdem sensus locutio est, Homo Christus est omnipotens & vbique: &, Christus secundum humanitatem, aut humanitas Christi, quatenus est vna cum Deo persona, est omnipotẽs & vbique.* Illud quidẽ rectè sequitur, Vbicunque Deus est, ibi etiam est homo. Quia propter Identitatem hypostasis idem Deus est, qui homo, & homo idem, qui Deus, ac proinde non aliter vbicunque Deus est, ibi etiam est homo, quàm sicut iste homo est Deus. At quoniam homo non est Deus, per humanitatem, nec humanitas est persona, sed assumpta tantùm in æternam Deitatis personam natura, non sequitur: Tota persona Deus & homo est vbique. Ergo etiam humanitas est vbique. Inde enim per contrarium concedi oporteret, quod est falsissimum: Humanitatem Christi, quatenus est visibilis, palpabilis, circunscripta, & non vbique, non esse vnam cum Deo personam: & quamuis non sint in Christo distinctæ personæ, tamen sunt & manent in ipso ad omnem æternitatem duæ distinctæ, & differentes naturæ, quæ etsi diuersis inter se proprietatibus discernantur, tamen quamdiu vna est vtriusque hypostasis & subsistentia, in quam perpetuò distinctæ manentes istæ proprietates concurrunt, nulla fit personæ distinctio, vel separatio: *Hoc est enim*, inquit Cyrillus, *vnum Dominum nostrum Iesum Christum diuidere in hominem propriè, & Deum Verbum propriè, vbi duæ intelli-*

Damascen. lib. 3. cap. 4.

Notate hîc Vbiquistæ.

Postremo scripto fol. 30.

Vigilius: Caro propter Verbũ est Deus, sicut Deus propter carnẽ est homo.

August. Epist. 145.

Apolog. Anat. 5, 109 & ad Eulogium.

gũtur personæ & subsistẽtiæ inter se distinctæ. *At nosse duarum naturarum discrimen, non est vnum Christum in duo secare.* Et in Edicto Iustiniani: *In mysterio Christi vnitas secundum compositionem, confusionem, & diuisionem reijcit, & seruat quidem vtriusque naturæ proprietatem, vnam tamen subsistentiam seu personam diuini Verbi, & cum carne ostendit. Si quis autem in mysterio Christi sic duas naturas fatetur, quasi separatim vnaquæque natura suam habent subsistentiam, sicut Theodorus, & Nestorius blasphemarunt, Anathema sit.* Quod cùm Lutherus vel non intelligeret, vel intelligere se dissimularet, tria hæc omnium falsissima colligit, & secutura esse tragicè contra Sacramentarios & Suermeros, (quos suo more sic vocat) at reipsa contra omnes Orthodoxos exclamat, si videlicet alicubi esse dicatur Diuinitas, vbi etiam non simul realiter prẽsens adesset humanitas.

Vnitas hypostasis in vtraque natura, non est nisi in vtriusque naturæ salua proprietate.

Falsæ Lutheri pro Vbiquitate corporis Christi illationes. in quibus fundata est doctrina libri Bergensis.

Primò enim, *tunc, verè & rectè dici posse: Hic est Deus, qui non est homo.* Hoc autem si verè sic dici potest, Ergo ex hac doctrina Lutheri, de vnione personali, præsupponi est necesse, quòd Verbum caro factum est, seu quod Deus homo factus est, hunc sensum habere: Caro & humanitas Christi assumta est à Verbo in inuisibilem, impalpabilem, & infinitam cum verbo vbique præsentiã, seu coëxistentiam. Quo sic pro hypothesi constituto, sequetur inde, quod, cùm in vtero matris Mariæ Deus homo factus contineretur, vel cùm mortuus penderet in cruce, vel iaceret in sepulchro, aut tunc etiam assumtæ carnis ipsius humanitatem fuisse in cœlo apud Patrem: aut de Filio in cœlo dici potuisse: Hic est Deus, qui nõ est homo, nec vnquã factus est homo. Ista autem quia sunt falsissima, falsa est & ista, ex qua hæc sequuntur, hypothesis. Nam sicut Deus per humanæ naturæ assumtionem factus est homo, Ita quoque per coassumtas humanæ naturæ proprietates factus est visibilis, palpabilis, loco & quantitate sua finitus, & circumscriptus homo.

Non sequitur, Deus est homo factus, Ergo humanitas est, vbicunque est Deus.

Vide Orthodo. consens. in prolegome. fol. 5.

homo. Hoc verò quia de Vbiquepræsentia Corporis & humanitatis Christi dici nõ posset, consequens est, & contra Lutherum inferri potest, quòd secundum istam inuisibilem & illocalem vbiquepræsentiam dici de Christo nequeat: Hic Deus factus est Homo.

II

Hæc consequentia Lutheri ab omnibus Orthodoxis est damnata.

Secundò, quòd aliàs sequeretur, *Quòd per spacia locorum duæ in Christo naturæ à se inuicem distraherentur, & personæ vnitas dissolueretur, quod tamen nec mors, nec omnes Diaboli efficere possent.* Hæc Lutheri illatio absurditate sua seipsam refutat. Nam si per mortem non est facta dissolutio personæ, Et tamen in morte humanitas Christi non fuit vbique, nec in vllo aliquo loco, extrà essentiales veri corporis proprietates: Ergo etiam vnitas personæ consistere potest, absq; humanitatis Christi vbiquepræsentia. Quòd ex Augustino, Fulgentio, & aliis Patribus à Christiano Hessiandro in libro contra omnipræsentiam carnis Christi in postremo capite luculentissimè est demonstratum.

Vide Fulgentium lib. 3. ad Thrasimun. Scholas. lib. 3. dist. 22.

III

Bergensibus patribus vilis est Christus, qui secundum humanitatem suam nõ est Vbique.

Tertiò, *Quod pro vili admodum Christo habendus sit, qui tantùm in vno loco diuina & humana persona esset, in omnibus autem aliis locis esset solus, nudus, & separatus Deus, absque humana sua natura.* Quod quid aliud est dicere, quàm sicut diuinitatem Christi, ita quoque humanitatẽ ipsius, veritate & substãtiali existẽtia naturæ suæ, hîc & vbique totam esse oportere, stupendo errore & insania imaginari? pro cuius delirij refutatione videndus est Orthodoxus consensus.

fol. 122. & 124.

Etsi Deus sit Vbique incarnatus homo, nõ tamen per hoc caro & humanitas eius est Vbique.

Sciendum est autem, quòd qua ratione vno aliquo loco corpore suo præsens, in vnitate personæ Deus & homo, seu diuina persona Christus est, propter videlicet assumti corporis subsistentiam in persona Verbi, eadem quoque ratione Vbique Deus & homo sit, licet corpus & humanitas eius non sit vbique. Sicut è contrario, qua ratione per Nestorianam vnionem Christus nõ esset vbique Deus & homo: eadem etiam ratione, per corporalem præsentiã in

vno loco, non magis dici posset Deus & homo, in vnitate personæ, quàm Petrus & Paulus. Quo etiã refutatur futilis ille Bergensium Patrum paralogismus, quo turpissimè semetipsos, & omnes sui dogmatis subscriptores miserrimè deceperunt.

Argumentum Patrum Bergẽsium in cap. 8. de persona Christi.

Tota persona Christi, aiunt, *sicut est vbique, ita præcipuè hîc semper præsens adest suæ Ecclesiæ.*

Ad totam autem personam Christi, pertinet vtraque ipsius natura diuina & humana.

Ergo Christus, vt tota persona, secundum vtramque naturam, tam omnibus Creaturis vbique, quàm etiam præcipuè hîc adest Ecclesiæ suæ. Aliâs tantùm dimidius adesset Christus.

Duplex enim in hoc sophistico paralogismo error est, Primò, quòd ignoratur, totam Christi personam, etiam ab altera ipsius natura cõcreto vocabulo, nunc Deum, nunc hominem appellari. Hinc Chrysostomus, *Filius hominis*, ait, *hoc loco non carnem, sed à maiore substantia totum seipsum significat. Hic enim scripturæ mos est, vt nunc à diuinitate: nunc ab humanitate totum nuncupet.* Et Damascenus: *Tota persona Deus est, sed non totum Deus: Et tota persona homo est, sed non totum homo, hoc est vtraque natura Christi.* Fulgẽtius: *Totus Christus in sepulchro cum carne fuit, totus cum anima in inferno, totus in mundo, totus in cælo, ac per hoc totus, & plenus vbique Christus, quia non est Deus ab humanitate, quam suscepit, separatus.* Et suprà ostensum est, ea quæ de tota Christi persona dicuntur, vera esse posse, quãuis alterius naturę respectu tantũ, sicut & Lutherus, quę de tota persona dicuntur, per synecdochen intelligenda esse voluit. Et Athanasius dicit: *Quæ vni naturæ propria sunt, de tota persona dicuntur.* Tribuuntur enim toti personæ, quatenus hanc naturam habet, cui hæc competunt. sic persona Christi dicitur passa, quia videlicet habet in se naturam, quæ verè est passa.

Homil. 26. super Iohann.

Damasc. lib. 3. cap. 4. 7. & 8.

Lib. 3. ad Thrasim.

passa. Et hoc est illud Magistri sententiarum: *Totus Christus, hoc est in vtraque natura subsistens persona, est vbique, sed non totum*, hoc est, secundum vtranque pariter naturam. Et Augustinus: *Totus Christus vbiq; præsens est tanquã Deus:* Alioquin ex hoc Bergensium Patrum argumẽto sic inferri posset. Sola in Christo diuinitas est Deus. Ergo tantùm dimidius Christus est Deus. Item sola in Christo humanitas est visibilis & palpabilis, Ergo tãtum dimidius Christus est visibilis & palpabilis. Secundò, quod falsò præsupponitur, ex ipso vtriusque naturæ concursu, seu compositione, personam Christi primùm esse constitutam, atque sic parem esse vtriusque naturæ in constituenda persona, aut iis, quæ de persona dicuntur, rationem, quod perpetuò pro erroris sui fundamẽto non rectè præsupponunt Vbiquistæ. Nã quia respectu verbi Christus verè est persona, ideò etiam est æterna. Sicut enim ante incarnationem, in vna tantum, & diuina natura, ita post incarnationem, in duabus naturis, pro vtriusque tamen naturæ inconfusa proprietate subsistens, vna, tota, & indiuisa persona Christus est. Et hinc est, quod simpliciter nõ rectè dicitur: Christus per incarnationem factus est persona: quamuis rectè dicatur, quòd factus sit persona hominis, hoc est, quæ ab æterno fuit hypostasis, & persona connaturalis suæ diuinæ naturæ, facta est in tempore hypostasis & persona consustentatæ humanæ naturæ. Vnde sic Augustinus: *Verbum non suscepit personam hominis, sed naturam, & in æternam personã diuinitatis accepit temporalem substantiam carnis.* Et Fulgentius: *Caro verbi in ipso Deo personale sumsit initium.* Proinde quia hypostatica vnio, qua Christus in vtraque natura est vna & tota persona, propriè est finitæ humanæ naturæ in infinitam Dei verbi hypostasin & personam facta assumtio, non valet, nec sequitur hæc illatio:

Tota persona est Deus, Creator, omnipotens, & vbique.

Lib. 3. dist. 22.

Ad Dardanum.

Vera erroris causa.

Bonauent. lib. 3. dist. 6. quæ. 2.

Magist. sentent. lib. 3. dist. 6.

Lib. 1. contra Maxim.

Lib. de incarnatio. cap. 10.

Hypostatica vnio quid.

Ergo quia ad totam personam vtraque natura pertinet, etiam Christus secundum vtramque est Deus, Creator, omnipotens, & vbique. Item:

Christus de tota persona sua dicit: Antequam Abraham esset, ego sum.

Ergo etiam secundum vtramque naturam Christus fuit ante Abraham.

Cùm enim principiũ personalitatis in Christo sit in Deo verbo, inde fit, quod in omni sermone de Christo, siue vt Deo, siue vt homine, semper suppositum sit æternum & infinitum, cui quæ in isto sermone tribuuntur, necessariò aliter intelligi oportet, respectu connaturalis diuinæ, & aliter respectu consustentatæ humanæ naturæ. Ideóque monent Patres, ea quæ de Christo dicuntur, secundum aliud & aliud diligenter discerni oportere. Vnde Cyrillus: *Duarum naturarum in Christo cognitio ex dictis & factis ipsius necessariò facienda est. Quare debemus, quæ Deo vero conueniunt, diuinitati ipsius, quæ homini vero, humanitati nostræ accommodare. Atque sic, quæ de Christo dicuntur, intelligenda sunt, vt nec quæ Deitati conueniũt, humanitati ipsius attribuamus, nec quæ humanitatis propria sunt, ad Deitatem eius detorqueamus. Sic singula dictorum & factorum in Christo congruè discernentes, à vera ipsius cognitione non aberrabimus.*

Cyrill. lib. de incarnat. ca. 27: lib. 10. Thesau. & li. 5. de Trini.

Etsi itaque ad vnitatem personæ Christi vtraque natura concurrat, non tamen eapropter quæ de persona dicuntur, ad vtramque simul naturam possunt accommodari: quod quia intelligere nõ voluit Iacobus Andreas, sic contra hæc scribens, à vera cognitione Christi turpissimè aberrauit. *Ratione personalis vnionis*, inquit, *omnia quæ competunt Diuinæ naturæ, tribuuntur & communicantur etiam humanæ, nec amplius dici potest, Christum secundum hanc vel illam naturam aliquid agere, aut quòd alicubi sit secundum diuinam naturam, vbi non etiam sit secundum humanam naturam.*

De vnione person. Christi. & contra Bezam. Talis est doctrina libri Bergensis.

naturam. Item: *Diligenter discernendum est inter Idiomata humanæ naturæ, quæ propter vnionem personalem diuinæ tribuuntur, & Idiomata Diuinæ naturæ, quæ propter eandem vnionem humanæ adscribuntur.* Quibus planè contraria apud Theodoretum sentit Orthodoxus, inquiens: *Omnes cuiusque naturæ proprietates Christi persona in se suscipit, utrique autem naturæ sua conuenientia assignantur. Cùm enim de persona loquimur, oportet communia facere, quæ naturarum sunt propria.* Thesi. Tubing. 19. Falsa doctrina Dial. 2. & 3.

Ex eodem errore natum est & hoc Lutheri argumentū.

Verbum caro factum est.
Verbum est vbique.
Ergo caro verbi est vbique.

Ista enim consequentia planè fallax & asyllogistica est. concludēdum namque erat, Ergo quod caro factū est, est vbique. Aliud est autem, quod caro factum est, hoc est, verbum incarnatū, & aliud caro verbi: sicut aliud est persona, quæ est homo, & aliud humanitas, qua est homo. Hinc Cyrillus: *Per incarnationis modum & vnionem inseparabilem Verbum Deus est, non caro, etiamsi propriam fecit carnem per dispensationem.* Ad Orientales.

His igitur sic refutatis argumentis, seu potius sophismatum præstigiis, quòd non passi sunt à Luthero se vinci, nec in erroneam ipsius sententiam pertrahi Aduersarij eius Zuinglius & Oecolampadius, quis futurus est inter æquos & veritatis amantes iudices, qui non laudi hoc ipsis potius, quàm vitio sit daturus? Sic iudicāt Iesuitæ Ingolstadienses.

Quàm graui autem censura & animaduersione digna est Bergensium Patrum (qui cùm præcipuos se in Ecclesia Doctores faciāt, adeò tamē fœdissimo errore in Incarnationis mysteriū impingūt) etiam illa stupidissima argumentatio, qua sub nomine & auctoritate Ordinum Augustanæ Argumentum Bergensium Patrū pro vbiquitate.

Confessionis sic impudenter colligere, & imperitos fallere non verentur:

Hîc animaduertite ordines Augustanæ Cõfessionis.

Quod si Christus, inquiunt, *per hoc, quod ait, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, secundum diuinitatis suæ naturam duntaxat hîc præsens adest Ecclesiæ, & non simul etiam secundum humanitatem.*

Aliter infra Orthodoxi Patres.

Ergo sequitur quod idem quoque de Petro & Paulo dici possit, quod apud nos in terra præsentes sint, siquidem Diuinitas Christi, qua vbiq; est, etiam in istis habitet.

At huic pudendæ inscitiæ, qua nititur hæc flagris digna argumentatio, iam pridẽ rectissimè ab aliis est responsum. Non enim ideo Christus Ecclesiæ suæ vsque ad consummationẽ seculi præsens hîc esse dicitur, quia videlicet Diuinitas, quę in homine Christo, sicut in Petro & Paulo, habitet, præsens adsit. hoc enim esset, propter diuersas vtrobique hypostases, Nestorianũ Christũ facere. Nã per inhabitationis in Petro & Paulo prẽsentiã, Deus verbũ non est visibilis & palpabilis homo factus, hoc est, in Petro & Paulo visus, & inter homines conuersatus, sicut in homine Christo, propterea quòd humanitas Christi non sit alicuius per se hominis (vt Petri & Pauli) sed Dei verbi, per vnionẽ, seu personalẽ in eo subsistentiã, propria humanitas. Itaque homo Christus est Deus, nõ propter solã Diuinitatis in ipso inhabitationẽ, sed quia persona Verbi, quę propter assumtam & subsistentẽ in se humanitatẽ homo est, Deus est: quod certè non similiter dici de Petro & Paulo potest. Hoc discrimen præsentię Dei per vnionẽ in homine Christo, & per inhabitationẽ in reliquis sãctis, quia nõ animaduertunt nostri Neoterici Patres, per hoc palàm declarant se, quid verè sit vnio hypostatica, & vnde sit dicta, aut flagitiosè ignorare, aut data insidiosè opera dissimulare.

Alia est vnionis, alia inhabitationis prẽsentia.

Est autem operæpretium, ad refellendas istas sophisticationes, Lectorem de hoc discrimine ex Orthodoxis Patribus

tribus admonere. Sic autem Cyrillus: *Non dixit, in carnem Filium Dei venisse, sed carnem factum fuisse, nequis habitudine sicut in Prophetas & cæteros sanctos venisse ipsum, sed vt verè carnem, id est hominem factum esse arbitretur. Propterea etiam Deus est secundum naturam in carne. propriam enim sibi illam fecit, & tamen aliud præter ipsam intelligitur.* Et Augustinus: *Deus verbum animam suscepit & carnem, totius hominis sibi cooptans in vnitate personæ naturam. Nam & anima Apostoli verbo illustrata est, Anima Petri verbo illustrata est, Anima Pauli, & aliorum sanctorum Apostolorum quoque & Prophetarum verbo illustratæ sunt animæ: sed de nulla dictum est, Verbum caro factum est: De nulla dictum est; Ego & Pater vnum sumus: Anima & caro Christi cum verbo Dei vna est persona, vnus est Christus.* Item: *Certificatum est in catholica Ecclesia, hominem illum, quem suscepit Sapientia Dei, nihil minus habuisse, quàm cæteros homines, quantum attinet ad integritatem naturæ: quantum autem attinet ad excellentiam personæ, aliud quàm cæteros homines. Nam, cæteri homines possunt esse participes Verbi, habentes in se verbum Dei, nullus autem eorum potest dici verbum Dei, quod dictum est illi, cui dictum est: Verbum caro factum est.* Item: *Hoccine ergo interesse arbitramur inter caput & membra, quòd quamuis in præcipuo aliquo membro, velut magno Propheta, & Apostolo, Diuinitas habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo Diuinitatis? Et planè, quia singulari quadam susceptione illius hominis vna facta est persona cum Deo verbo. De nullo enim sanctorum dici potest, Verbum caro factum est: Nullus sanctorum, quantumuis gratia præstans, vnigeniti nomẽ accepit, vt quod ipsum Dei verbum est ante secula, hoc simul cum assumto homine diceretur.*

Lib. 1. cap. 15. in Ioan.

Sicut Verbum homo factus est, ita ille homo est nobiscũ.

Tracta. 49. in Ioan.

Discrimen Petri & Christi.

Lib. 2. de incarnat. Dei.

Epist. 57. ad Darda.

Proinde ex his constat, quòd, quæ ratio facit, vt quoniam Verbum caro factum est, Christus Deus aliter sit homo quàm Petrus, & Paulus, & quod Deus ex Virgine

Christus est aliter homo, quã Petrus.

natus in homine Christo visus, & inter homines conuersatus est (quod, vt dictum est, de Petro & Paulo, propter inhabitantem in iis Diuinitatem, dici rectè non posset) Illa eadem ratio quoque facit, vt iste homo Christus nobiscum esse dicatur, vsque ad consummationē seculi, quamuis Diuinitatis suæ respectu tantùm. Et tamen sic Petrus & Paulus nobis adesse dici non possint, quamuis Diuinitas in iis habitans præsens adsit.

At ratio, qua Christus Deus aliter est homo, quàm Petrus & Paulus, & quòd Deus in homine Christo visibilis factus sit, hæc est, quia cùm nomen Concretum, Homo, significet subiectum cum sua forma, seu natura: Subiectum in homine Christo non est propriæ suæ naturæ, sed æterna Verbi hypostasis seu persona, quæ assumtam in se habens humanitatem, tanquam à sua forma seu natura, est & dicitur homo, eóque modo per hypostaticam hanc vnionem subiecti cum assumta sua forma seu natura, Deus in homine visibilis factus apparuit. In Petro autem ac Paulo subiectum, Homo, non est inhabitans verbi Diuinitas, sed propriæ suæ formæ, seu naturæ, à qua dicitur homo, hypostasis & persona.

Ex quibus intellectu non difficile est, cur de solo homine Christò verè dicat Scriptura: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Solius enim singularis istius hominis subiectum, quod est homo, hoc est, persona Dei verbi, assumtam in se habens humanitatem, qua est homo, nobiscum est, vsque ad omnis seculi consummationem. At in Petro & Paulo quoniam inhabitans in iis Diuinitas Verbi non est subiectum, seu hypostasis, quæ est homo, sed propriæ suæ naturæ separata persona, ideo non sequitur, quòd etsi hanc personam inhabitans verbi Diuinitas sit nobiscum, ea propter etiam Petrus & Paulus, qui non tantùm loci distantia à nobis absunt, sed

Diuinitas in Petro, & Petrus nō sunt vna hypostasis, sed duę. Ergo quòd de vna dicitur, non competit alteri.

&

& ſeparatam ſuæ naturæ hypoſtaſin à Diuinitate Verbi habent, nobiſcum eſſe dicantur. Is enim ex omnibus hominibus ſolus nobiſcum eſſe verè dici poteſt, cuius hypoſtaſis & perſona, ſiue Deus à diuina, ſiue Homo, ab humana natura dicatur, nobiſcum eſt. Solus igitur homo Chriſtus, vt Fulgentius ait, carne conſcendens in cælum, ſuos in terra diuinitate non deſerit. Nam qua ratione tunc, cùm hîc Nicodemo loqueretur in terra, Filius hominis eſſe dicebatur in cœlo, Sic etiam nunc, cùm ſit in cœlo, nobiſcum hîc eſſe dicitur in terra, hoc eſt, vt Nazianzenus, & Patres dicunt, per communicationem Idiomatum, propter duarum naturarum vnionem, non ſecundùm viſibilem naturam, ſed ſecundùm inuiſibilem, ſeu, vt Caſſianus, Theophylactus, & Beda loquuntur, per infinitatem perſonæ Dei: Quia ſicut naturæ in vna hypoſtaſi vnitæ ſunt, ita etiam attributa naturarum permutantur, & quod vni naturæ proprium eſt, toti perſonæ, ex vtraque natura conſtitutæ, competit & tribuitur. Hoc quia in locutionibus de Chriſto nec animaduertere, nec admittere volunt Vbiquiſtæ, rectè in eos quadrat, quod ſcribit Nazianzenus: *Iſtud eſt, quod hæreticos in errorem trahit, vocum ſcilicet coniunctio, permutatis inter ſe vocabulis, propter naturarum ſcilicet coalitionem.* Sequenda eſt itaque in huiuſmodi locutionibus Regula Ambroſij ad Imperatorem Gratianum: *Seruamus*, inquit, *diſtinctionem Diuinitatis & carnis. Vnus in vtraque natura loquitur Dei Filius, quia in eadem vtraque natura eſt. Et ſi idem loquitur, non vno ſemper loquitur modo. Quaſi Deus loquitur, quæ ſunt diuina: quaſi homo dicit, quæ ſunt humana, quia in eo mea ſubſtantia loquebatur.* Quod ſi quæ de tota perſona dicuntur, ſecundùm vtramque naturam ſemper ſunt intelligenda, omne loquendi diſcrimen ſecundum naturarum diſtinctionem tolli, & eodem ſemper modo locutum fuiſſe Chriſtum,

Lib. de Incar. cap. 10.

Orthodo. Conſenſ. fol. 16.

lib. 2.

fateri oportebit. Contra quod, pro rectè intelligendis de Christo locutionibus, sic in Concordiæ epistola ad Ioannem Antiochenum scribit Cyrillus: *Euangelicas & Apostolicas de Christo voces scimus Deiloquos viros quasdam quidem communicantes, quippe vt in vna persona, quasdam verò diuidentes, quippe vt in duabus naturis: & quasdam quidem Deo decenter, secundum Diuinitatem Christi, quasdam verò humiles secundum humanitatem attribuentes.* Et Athanasius: *Ne quis distinctè omnia de Christo dici censeat, sed etiam coniunctim, ob hoc quæ humana sunt, quæ item diuiniora, de ipso promiscuè, & in commune dicuntur, intellectu discernente, quæ vtrique conueniunt naturæ.*

Lib 4 de incarnatio. Christi.

Est autem & istud Bergensium Patrum planè ludibriosum commentum, quo miserè deceptis, & errore fascinatis illudunt, non satis ad consolationem nostram esse dicentes, si Christus tantùm secundum Deitatem, & non etiam iuxta humanam naturam, per quam frater noster est, caro de carne, & os de ossibus nostris, Ecclesiæ suæ hîc in terris præsens adesset. Quoniam enim secundum istum præsentiæ modum, ab humana natura Christi omnes essentiales proprietates ipsius sunt, vt isti plures Magistri docent, abstractæ & separatæ: Talis autem Caro & humana natura Christi non sit, vt semen Abrahæ, à nobis assumta, nec per eam Christus sit incarnatus, quomodo igitur per hãc frater noster, & caro de carne nostra dici potest, cum qua nulla nobis naturalis vnitas & coniunctio est, neque secundum quam verè sumus ipsius σύσσωμοι, seu concorporales? Sic enim Christus est primogenitus ex multis fratribus, sicut ipsis, vt semen Abrahæ, per omnia, in essentialibus humanæ naturæ proprietatibus, assimilatus, & homousios est factus. Quæ verò potest esse nostræ carnis & naturæ similitudo & conformitas cum ista, in qua, velut in carne nostra, Christus non est visibilis & palpabilis homo,

Vide infra aliter Cyrillum & patres.

homo, nec ſecundum quam ipſi conformes ſumus futuri? Sicut autem Chriſtus, propter eiuſdem nobiſcum naturæ veritatem & vnitatem, frater noſter, ſic etiam eſt & dicitur Vitis noſtra, & nos ipſius Palmites: quoniam, vt hoc eleganter explicat Athanaſius, *Nos Domini ſecundum corpus cognati ſumus. Hanc ob cauſam ipſe dixit, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Sicut enim palmites eandem cum vite ſubſtantiam habent, & ex ea propagati ſunt: Ita & nos cognata corpora habentes corpori Domini, ex plenitudine eius accepimus. Hoc enim tanquam radicem habemus noſtræ reſurrectionis & ſalutis. Vitis igitur nominatur Dominus, propter corporalem cognationẽ, quam cum nobis, qui ſumus palmites, habet.* Apud Theod. dialo.1. Cyrillus lib.10.cap.17. in Ioan.

Quod quia vidit Iacobus Andreas, duplicem humanitatis Chriſti ſtatum & conſiderationem facit, Aliam pro ratione glorificati corporis, ſecundum quam noſter frater ſit, nóſque ipſi conformes futuri ſimus. At pro hac ratione negat Chriſtum Vbique, ſeu alibi, quàm vno loco eſſe: Aliam verò pro ratione Maieſtatis & dexteræ Dei, ſecundum quam humanitas Chriſti ſit Vbique, ac per hoc ſimpliciter & abſolutè ab omnibus diſtincta creaturis. Ex qua pſeudotheologia iſtius Apoſtoli vbiquitatis docemur, humanam Chriſti naturam, quatenus per hanc frater noſter eſt, in terris hîc Eccleſiæ ſuæ præſentem non adeſſe: quatenus verò Maieſtatica ſua Vbiquepræſentia adeſſe fingitur, nõ eſſe noſtrum homouſion fratrem. Hæc autem quid aliud ſunt, quàm meræ ludificationes & impoſturæ? Tenenda eſt igitur hæc Chryſoſtomi de præſentia & participatione Chriſti ſalutaris & pia ſententia. Contra Bezam ſcrip.2. fol.7. & 107. & contra Heidel. fol.11.

Quid eſt, participes facti ſumus Chriſti? Vnum facti ſumus nos & ipſe: quia ipſe caput, nos corpus, cohæredes, & concorporales, vnum corpus ſumus ex carne & oſſibus ipſius. Item: *Omnia nobis factus eſt Chriſtus, & menſa, & veſtimentum, & domus, & caput, & radix. Quotquot enim in Chriſtũ baptiſati* Ad Hebr.7.

Sicut Baptismus vestimentum, ita panis est corpus Christi.

estis, Christum induistis. Ecce quomodo vestimentum est, Vis discere, quomodo & mensa sit? Qui me comedit, inquit, viuit ille propter me. Quod autem & domus sit, Qui comedit carnem meam, in me manet, & ego in eo. & quòd radix sit, rursum inquit, Ego vitis, vos palmites. Et quòd frater sit, vt, inquit, ipse sit primogenitus ex multis fratribus. Talis autem cum nobis sit Christus, absque illa Maiestatica humanę naturæ ipsius hîc in terris præsentia, falsò & impostoriè dicũt Patres Bergenses, Christum secundum humanã naturam suam, per quam frater noster, & caro de carne nostra est, hîc in terris Ecclesiæ præsentem adesse.

Et hæc quidem de Argumentis Lutheri & Bergensium Patrum, quæ ab vnione personali pro corporalis præsentiæ in Eucharistia defensione, non sine summa Augustanæ Confessionis Ordinum ignominia & dedecore ab ipsis sunt refricata.

Non arbitror autem operæprecium esse, vt plura testimonia & loca ex Luthero transscribam, quibus ostendatur, ipsum hoc primo suo ab vnione personali extructo fundamento, probare voluisse Vbiquitatem seu Vbiquepræsentiam corporis & humanitatis Christi in omnibus locis & creaturis. Siquidem hoc ipsum non negat, sed fatetur, & contra Theologos Heidelbergenses & Vvitebergenses ex Polemicis Lutheri scriptis definire, iampridem conatus est Iacobus Andreas, qui per realem Idiomatum & proprietatum diuinæ naturæ, seu plenitudinis Dei, in humanitatem Christi factam commutationem & effusionem, quam dicit esse formam Dei in Christo, & rationem seu definitionem personalis vnionis, hanc vbiquepræsentiã effici, multis ea de re editis libris, nouo & schismaticó dogmate asserere non dubitauit.

Thesi Tubingensi. 14.

At quia primus omnium in Ecclesia D. M. Lutherus fuit, qui Vbiquitatem corporis Christi, contra aduersarios

suos

suos, quos aliter oppugnare & redarguere non potuit, asseruit & inuexit, videamus quomodo secum ipse in hac sua Vbiquitatis doctrina, & quod in ea, pro asserenda corporali præsentia, constituit fundamento consentiat. Sic autem alibi scribit, *Accipite & mãducate, Hoc est, corpus meũ: His verbis verum corpus, & verus sanguis Christi in pane & vino ad manducandum & bibendum datur. At hîc incipit quæstio, quomodo Christus possit esse corporaliter in sacramento, cùm tamen vnum corpus non possit esse simul & semel in pluribus locis? Ad hoc ego respondeo, Christus dixit, quod ibi adesse velit, ideo verè est in sacramento, & quidem corporaliter, & ideo veraciter est ibi, neque debet alia causa istius corporalis præsentiæ quæri, quàm hæc tantum. Verba enim ita sonant, idcircò necesse est ita fieri, vt sonant, Quod autem ad ipsum corpus attinet, potest Christus, quando vult, Vbique, vel in omnibus locis esse. ac ideò alia ratio est ipsius, quàm nostri corporis. De Vbiquitate, vel in omnibus locis adesse, non debet disputari. longè enim alia res est in hac causa. Nam & Scholastici Theologi nihil de Vbiquitate loquuntur, sed retinent simplicem intellectũ de corporali præsentia Christi.*

Tomo Ienensi 8. folio 175.

Hæc quęstio est inepta & ἄδοξα quòad verba Cœnæ.

Quid hîc dicetis Vbiquistæ?

Aliud est causam Vbiquitatis in volũtate Dei absoluta, aliud in personali Vnione collocare.

Non libet nunc hanc Lutheri sententiam prolixa disputatione excutere, sed tantùm plęraque erunt in ea notanda & monenda. Primò enim quod propositæ quæstioni, quam certè ex verbis dominicæ cœnæ mouere non erat necesse, respondens, adeò confidenter definit, Christi corpus ideo in pluribus locis simul esse, quia ipse dixerit, quod corporaliter in sacramento adesse velit: in æternum ex verbis Christi, eorúmque simplici & proprio sensu non probabit Lutherus, sicut hoc circa tertium fundamentum ostensum est, & ab Orthodoxi consensus authoribus copiosè & irrefutabiliter demonstratum. Quod si autem nulla alia causa quærenda est istius corporalis præsentiæ, quàm quod hoc Christus in verbis dominicæ

Vide infra circa 3 fundamẽtum.

cap. 7

cœnę dixit, & quòd ita, sicut dixit, fieri oportet, falsum est istud, quod ab Vnione personali, pro Vbique præsentia corporis Christi, in omnibus locis & creaturis, priore loco supra positum est fundamentum. Falsum est etiam, quod in testimonium & confirmationem istius Vbiquitariæ Maiestatis humanæ naturæ Christi, per Vnionẽ, institura fuerit Dominica Cœna, vt docet liber Bergensis, sed ista corporalis præsentiæ causa, ex verbis cœnæ, solo Eucharistiæ pane definita est. Nec ad rem facit, si ad absolutam voluntatem & potentiam Dei confugiatur. Illud enim Christum corpore suo velle & posse credendum est, quod ex patefacta in scripturis voluntate se velle & posse declarauit, & quod rerum veritati non aduersatur, nec in contradictionem incurrit. In his enim quia mendacium versatur, nec talia velle, nec posse rectè tradit Augustinus, & fatentur omnes Orthodoxi. Et quanuis alia sit ratio corporis Christi, quàm nostri, quò ad singularem conceptionis, & personalis suæ in Verbo subsistentiæ modum, tamen, vt rectè Ambrosius ait, *nihil tam est eiusdem naturæ, quàm caro nostra cum Dominici corporis veritate.* Item, *Eadem est corporis Christi veritas, quæ nostri.* Et Leo Romanus: *Carnis Christi nulla ratione est extra nostri corporis veritatem.* Itaque sine quibus nostri corporis veritas non posset consistere, sed quibus sublatis, destrui veritatem ipsius oporteret, sine istis etiam corporis Christi veritas secundum quam nobis naturalis cum ipso vnitas & homousia est, constare non posset. Non enim sibi tantùm peculiare quoddam corpus, sed totius naturæ humanæ corporis veritatem in seipso assumsit & recapitulauit Christus.

lib de Incar. ca. 9. Epist. 22.

Epist. 71.

Deinde quod de Vbiquitate disputari non debere dicit Lutherus, quia videlicet alia & peculiaris res seu ratio sit in hac Eucharistiæ causa, hoc vtinam in Polemicis suis

Vbiquitatis disputatio per Lutherum abrogata.

suis scriptis sic probè seruasset ipse Lutherus, qui primus hanc adeo absurdam & periculosam disputationem ad redarguendos quoquo modo & conuincendos suos aduersarios, ex victoriæ simul & vindictæ cupiditate, cum inenarrabili scandalo & damno Ecclesiæ mouit, & tanta cum vehementia defendit. Huic autem posteriori sententiæ ipsius si locus esse debeat, an non omnem hanc de Vbiquitate disputationem in Polemicis suis scriptis prorsus reuocatã, abolitã & abrogatã esse, fateri oportebit? Et quomodo igitur se falsarios nõ esse excusabũt & defendẽt Patres Bergenses? qui ex abrogatis Lutheri scriptis, & reuocata ab ipso de Vbiquitate disputatione, Augustanæ confessionis sensum explicare, eáque, quæ iam olim pro vero ipsius sensu publico decreto placuerũt & constituta sunt, malitioso & cruento consilio retractare sunt conati. Equidẽ libenter videbimus, qua ratione inter se conciliare volent, quæ in Polemicis suis, & in libro Bergẽsi canonisatis scriptis, sic de Vbiquitate docet Lutherus. *Nõ potes,* inquit, *diuinitatem ab humanitate secludere, eámque in aliquẽ locum seponere, vbi non etiam simul adesset humanitas. Nã per hoc esses personã vnitatem distracturus, & humanitatem instar tunicæ facturus, quam diuinitas induere & exuere posset.* Item: *Oecolampadius hoc loco nimium facit, qui Christum contrà seipsum & omnem scripturam, secundum diuinitatem in cœlo, & secundum humanitatem in terra tantùm collocat. Ipsi non rectè intuentur fundamenta mea, neque sua ipsius verba intelligunt. Si enim Christus est vna persona in Deitate & humanitate, necesse est humanitatem simul in cœlo & in terra esse, sicut supra contra Zuinglium probaui. Quoniam Vnam cum Deo personam esse, multò sublimius est, quàm in cœlo esse.* Item, *Christus inquit, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo: per quod indicare voluit, quòd corpus ipsius simul tunc in*

Recessus Fræfor. & Nauburg.

In Confes. Maiore.

Necessaria Vbiquitatis causa, in Vnione personali.

Iocus Iohan. 3.

Fundamentum Lutheri.

Nota hãc rationem cui erudite respondit Zuinglius.

In libro Quod Verba Christi.

cœlo & in terra, imò etiam Vbique & in omnibus locis esset. Quoniam per glorificationem non est primùm factus vna persona, sed sicut antea, ita quoque postea Vbique præsens. Hinc illa passim in Polemicis scriptis repetita Vbiquistica definitio, qua, nisi corpus & humanitas Christi sit Vbique, & in omnibus locis vbi est diuinitas, personæ vnitatem solui, & fidem nostram falsam esse, adeò præfractè contendit. Quod si verum est, non erit igitur ex iam ante recitata ipsius longè diuersa sententia disputandum, nec curandum, quomodo personæ Christi vnitas, per corporis illius Vbiquepræsentiam, salua, & fides nostra falsa non sit. Egregia certè doctrinæ constantia, qua præcipuè niti debet Augustanæ confessionis firmitas & explicatio. Ista enim Lutheri Vbiquitas, qua contra Zuinglium & Oecolampadium contendit, Christum etiam tunc cùm Nicodemo hîc loqueretur in terra, necdum instituta esset Dominica cœna, humanitate sua simul in cœlo & Vbique fuisse, propter personæ videlicet Vnitatem, qua etiam nunc in cœlo simul & terra sit, nihil habet cum verbis & institutione Dominicæ cœnæ commune. Ideóque disertè fatetur Lutherus, se propterea docuisse, Corpus Christi esse Vbique, & quod dextera Dei sit Vbique: vt hoc ipso ostenderet & euinceret, Corpus Christi non tantum esse in cœlo, sed etiam hîc in terra, in Dominica cœna.

Cõtrarietas Lutheri.

Vbiquitas Lutheri non est fundata in Verbis Dominicæ cœnæ.

Falsæ hypothesis falsa demonstratio.

Denique quod Scholasticos nihil de Vbiquitate disputare, sed simplicem intellectum verborum Christi de corporali præsentia retinere, in supra citato loco dicit Lutherus, dupliciter incõsideratè ab eo dictum animaduertere licet. Primò, quod si in simplici verborum Christi intellectu, secundum Scholasticos, consistit corporalis in pane præsentia: Ergo etiam ex ipsorum sententia & consensu

Scholastici in omnibus quatuor fundamẽtis aduersantur Luthero.

reiiciendum

reiiciendum est primum, secundum, & quartum Lutheri fundamentum. Secundò non potest verè per Lutherum dici à Scholasticis retineri simplicem intellectum verborum Christi, de corporali præsentia, nisi concessa simul etiam, & approbata ab ipso Transsubstantiatione. Nam, vt infra dicetur, omnes in vniuersum Scholastici, non solùm Lutheri Vbiquitatem damnant & abominantur, sed etiam vno ore omnes fatentur: Si pronomen, Hoc, in verbis cœnæ demonstret panem, & hic panis corpus Christi esse dicatur, tunc neque simplicem verborum intellectum, siue tropo & figura, retineri, neque corporalẽ præsentiam ex verbis Christi inferri aut defendi, posse. Aut ergo quoniã ad Scholasticos hac in parte prouocat Lutherus, simplex ille verborum intellectus iuxta Transsubstantiationem erit accipiendus: Aut ea repudiata, ex simplici verborum intellectu nullam posse corporalem præsentiam defendi, est fatendum.

Vide orthod. consens. cap. 7.

Quid hic dicetis patres Bergenses?

Sic itaque in hac Vbiquitatis doctrina à semetipso dissentit Lutherus, qui tamen aduersarios suos, qui istam abhorrẽt, vt absurdam, vocat Porcos, Canes, Suermeros, & brutos Asinos, nimis profectò proteruè, & animo, si verum dicere fas est, prorsus non Christiano. Verùm huc adigit homines affectata ista vincendi cupiditas, & iustæ reprehensionis impatientia.

Probate Spiritus.

Etsi autem reiecta & dissimulata ista superiore Lutheri sententia Patres Bergenses, pro suo Theologico Magisterio, alteram illam de Vbiquitate amplexi sint, & Ecclesiis nunc obtrudant, tamen sic olim, ante factam in Calvinistas conspirationem etiam contra Vbiquitatem sensit & scripsit Kemnitius, *Fundamentum*, inquit, *præsentiæ corporis Christi in cœna Lutherus monuit non esse collocandum in disputatione de Vbiquitate, sed in veritate verborum institutionis*. Hæc sic Kemnitius, qui nunc veteratoriè &

Kemnitius olim reiecit Vbiquitatem, quam nunc in libro Bergensi probat.

Contra decret. Con. c. Tridẽtin.

ligne conqueritur, Vbiquitatis vocabulum à Caluiniſtis primùm eſſe calumnioſè excogitatum. At idem in ſuo libro de cœna Domini, capite quarto, magnam noſtris temporibus quæſtionem & controuerſiam de Vbiquitate à quibuſdam motam eſſe ſcribit, qui quærunt, An quia humanitas Chriſti cum diuinitate perſonaliter eſt vnita, ſicut diuinitas Vbique & in omnibus locis eſt, ita quoque corpus & ſanguis Chriſti ſubſtantialiter ſit Vbique: Et hac quæſtione dicit multorum ſimplicium & bonorum animos grauiter fuiſſe perturbatos & contriſtatos, qui hac diſputatione à principalis cauſæ ſcopo ad non neceſſarias & incertas quæſtiones ſe paſſi fuerint abduci. Reſpondet autem, quoniam de tali Vbiquitate corporis & ſanguinis Chriſti nullum ſit in ſcriptura verbum Dei, nihil etiam de ea certi poſſe definiri. Non ſentiebat igitur tunc Kemnitius, perſonalem humanæ naturæ cum Deo verbo vnionem firmum ex ſcriptura teſtimonium & argumentum eſſe, vt vbicunque eſt diuinitas Chriſti, ibi etiam ſubſtantialiter adſit ipſius humanitas. Quibus conſentanea etiam ſcripſit Selneccerus. *Nemo*, inquit, *hîc docet, aut contendit de Vbiquitate, hoc eſt, quod corpus Chriſti ſit Vbique.* Item: *Non eſt neceſſe quemquam de Vbiquitate ſollicitum eſſe aut diſputare, quomodo Chriſti corpus ſit vbique, ſed tantùm hoc loco quæritur de inſtitutione & veritate Chriſti, omnipotentis Dei.* Idem ſenſit ille toto terrarũ orbe tam clarus & bene notus Heshuſius, *Extra oleas* inquit, *vagãtur, qui rixas de Vbiquitate immiſcẽt. Cùm enim in Chriſto naturæ maneãt diſtinctæ, non dicimus humanã carnem Chriſti eſſe vbique, nẽ dicimus corpus Chriſti eſſe in ligno in lapide, in frugibus.* Item. *Vt euidẽs illud diſcrimen humanæ & diuinæ naturæ maneat in Chriſto, non dicimus Vbique eſſe corpus Chriſti, ſed recipimus modũ loquẽdi à patribus traditum, Chriſtus eſt Vbique, ſcilicet communicatione Idiomatum, id eſt,*

A quibus ſit mota quæſtio de Vbiquitate.

Quid ſit Vbiquitas.

Ergo nec de Maieſtatica præſentia humanitatis vllum eſt verbum Dei.

In primo libro de Cœna Domini.

Quid ſit Vbiquitas.

In libro de cœna.

Quis hanc quæſtionem primò mouit?

diuinitas

diuinitas eius est Vbique, & propter Vnionem duarum naturarum hypostaticam, alterius naturæ proprietas toti personæ in concreto tribuitur. Hæc sic rectè Heshusius.

Verũ multò aliter Iacobus Andreas, qui Zuinglianum dogma esse clamitat, si quis dicat Christus est Vbique, videlicet per communicationẽ Idiomatum, secundũ diuinitatẽ, & non simul etiam secundum humanitatem suam, quasi diuina natura in Christo proprietates istas suas omnipotẽtẽ & vbique esse, humanitati suæ cõmunicare non possit. At hunc Zuinglianũ errorẽ constãtissimè fuisse refutatũ à Luthero, qui ex scriptura docuerit: Si Christus in aliquo loco esset secundũ diuinitatẽ, in quo non etiã esset secundũ humanitatẽ suã, per hoc vnionẽ personæ dissolui; & Christũ negari Deũ esse. Proinde superiorẽ istum ex Luthero cõtra Vbiquitatẽ citatũ locũ audacter reiicit vt falsum & suppositititiũ: in cuius sentẽtiã nunc tandẽ pro canonisanda Vbiquitate ab aliis est itũ & cõsensum, manifesta cum ipsorũ vanitate & inconstantia, in turpissima prioris sentẽtię retractatione. Ista enim Orthodoxa Heshusij explicatio, Quomodo Christus homo sit Vbique, nominatim reiecta & dãnata est in libro Bergẽsi, etiam ipso subscribẽte & assentiẽte Heshusio, vt Nestoriana & Caluiniana: quoniã eodẽ modo etiam Petrus & Paulus propter diuinitatẽ in iis habitantẽ, dici possent esse Vbique. Quàm igitur rectissimè in hosce dominatores fidei istud Augustini, cõtra Faustũ Manichęũ, quadrare potest? *Tu dicis* ait, *hoc p me facit, illud cõtra te: Es ergo tu regula veritatis: quicquid cõtra te facit, verũ nõ est.* Sanè quidẽ hęc grauis est ista præcipuorũ scilicet Germaniæ Theologorũ censura qua Caluinistarũ doctrinam damnatã & anathematisatam esse vociferatur insanus & inquietus Heshusius.

Pri. scrip. cont. Heid. fol. 13. & 16.

Hæc sententia nihil habet commune cum verbis cœnæ.

Folio 162.

Constantia Heshusii.

Cæterum ad primũ istud Lutheri fundamẽtũ quod attinet satis constat ex supradictis, hoc propria sua ratio-

ne, qua nititur, non esse, ad probandam inde corporalem Christi in pane Eucharistiæ præsentiam orthodoxè accommodatum. Quemadmodum enim iuxta probatam Dialecticam nugax oratio habetur, qua de vna tantùm specie disertè negatur, quod toti generi non competit, Sic etiam pro friuolo & inepto argumento habendum est meritò, quod ad singularis alicuius rei probationem adfertur, & tamen ratione sua, in qua sita est probatio, & vis argumenti, omnibus aliis promiscuè rebus posset esse commune. At verò ex hoc primo fundamento eiúsque per Lutherum adductis rationibus, non magis probatur corporalis præsentia in pane, quàm in omnibus aliis locis & creaturis. Vnde si in aliis locis & creaturis hinc nulla probari possit realis existẽtia corporis Christi, nec etiam in pane Eucharistię probari inde poterit: Ideo, quòd si indiuisa personę Christi vnitas non dissoluitur, etiamsi corpus Christi vnà cum Diuinitate non sit in omnibus vbique locis & creaturis, pari ratione non dissoluetur, licet in pane Eucharistiæ corporali præsentia adesse negetur.

Primum Lutheri fundamẽtum concludit, aut quod ad omnes creaturas, aut concludit in nullo. Quia Christus est vbique in vna persona, verꝰ Deus & homo.

Et hinc est, quod Ioannes Brentius, & Iacobus Andreas, corporis Christi realem illam in pane præsentiam non ad tempus & actionem cœnæ restringũt, (hoc enim magicum commentum esse affirmãt) sed apertè sentiunt & dicunt, ad effugiendam hanc Papisticæ consecrationis Magiam credi debere, & oportere, Christũ vnà cum corpore & sanguine suo verè in Dominicæ cœnæ Symbolis, adeóque etiam in ore Christianorum præsentem adesse, prius quàm verba institutionis recitata fuerint. Alioqui nisi hoc ita cõcedatur, quòd iam ante perpetuò & semper, secundum modum dexteræ Dei, præsens ibi corpore suo adesset Christus, nihil cum corpore suo aliud facere oportere, quàm vt ineffabili motu ascẽdere & descendere, & ab vno loco in alium migrare cogatur.

Hæc est illa Apostatica sententia Brentii pro qua ciassicum in morte crudeli sua testamentaria dispositione cecinit.

Verba

Verba ipsorum hæc sunt. Brentius in tractatione verborum: In Domo Patris mei &c. *Qui concedere, & fateri non vult, corpus Christi esse vbique, manifestè per hoc declarat, etsi multa verbis iactet, de vera præsentia Christi, & vsu Cœnæ Dominicæ, donis item & beneficijs, quæ nobis in ea offeruntur, quod tamen in intimo corde sit Zuinglianus.* Aut igitur ex hac præiudiciali à Brentio lata sententia, ita in suo libro sentiendum esse volunt Bergenses Patres, aut se pro Zuinglianis damnatos agnoscant & fateantur. Item in Recognitione: *Non nunc de Cinglianis, sed de nostris loquor, qui fatentur veram præsentiam corporis Christi in pane: nisi enim isti crediderint, Christum vnà cum corpore & sanguine suo verè in Cœna præsentem esse prius, quàm verba Cœnæ recitauerint, non video, quomodo effugere queant Magicam Papistarum consecrationem. Papisticum, hoc est magicum, est, his verbis: Hoc est corpus meum: tantam virtutem esse additam, vt mox ad prolationem eorum corpus Christi, antea absens in cœlo, fiat præsens. Credendum est itaque, corpus & sanguinem Christi iam antea præsentia esse, per Maiestatem eius, & talis præsentia verbis institutionis annunciatur tantùm, & distribuitur.* Vult itaque Brentius, hanc præsentiam corporis Christi in pane Eucharistiæ ab vnione personali firmissima ratione constare, etiamsi nihil de hoc in verbis Dominicæ Cœnæ contineretur. Iacob. Andreas de Colloquio Maulbrunnensi: *Non volo vos velare, quicunque inter nos, qui Augustanam Confessionem profitentur, dicunt, se credere veram corporis & sanguinis Christi præsentiam in cœna, & tamen Vbiquitatem, sicut ea à nobis de Maiestate hominis Christi docetur, negant, eique contradicunt, hos certè oportet aut Magicos Papistas esse, qui putant, quòd per recitationem verborum Cœnæ corpus Christi antea absens, statim præsens è cœlo faciant & adducant, aut in intimo corde cum Zuinglianis sentire, corpus Christi non esse realiter in pane.* Item in postre-

Blasphema Vbiquistarum doctrina, de qua nulla extat condemnatio in lib. Bergensi.

Ergo nihil distribuitur, nisi quod iã antea ĩ pane præsẽs est. hoc est merũ opinionis spectrũ & phantasma.

folio 60. mo scripto contra Theologos Heidelbergenses: *Quicunque hanc Maiestatem Vbiquitatis nobiscum fateri non volunt, isti verum fundamentum præsentiæ corporis Christi in Cœna negant. Quod si enim non iam antea semper & perpetuò secundum modum Dexteræ Dei præsens ibi esset Christus, nihil aliud ipsum corpore suo facere oporteret, quàm incessabili motu ascendere & descendere, & ab vno loco in alium migrare.* Hoc fundamento Vbiquitatis seu omnipræsentiæ corporis Christi ab vnione personali non stante, frustra scribit idem alibi Iacobus Andreas, inculcari veritatem verborum Cœnæ, pro quibus etiam ne ad momentum quidem amplius velit dimicare. Quibus accedit, quod Lucas Osiander, qui in commendando Sueuicis Ecclesiis, iisque obtrudendo libro Bergensi, valdè strenuam operam nauauit, pro aperiendo ipsius vero & intimo sensu, & ratione, propter quam quatuor ista Lutheranæ doctrinæ, de corporali præsentia Christi, fundamenta poni necesse fuerit, explicanda, palam & rotundè, absque dissimulatione fatetur, nisi doctrina de Vbiquepræsentia Christi secundum vtramque naturã in omnibus locis & creaturis, ad Dominicæ cœnæ causam seu controuersiam adhibeatur, ex solis verbis institutionis realem & corporalem præsentiam in sacra Eucharistia non posse retineri nec defendi. Sic enim is in altera sua de Cœna Domini verè Tribunitia concione, contra negantes humanæ naturæ Christi Vbiquitatem, scribit: *Quoniam libenter fatemur, & hactenus semper confessi sumus, quod Christus corpore suo in cælum ascenderit: Sic etiam iamdudum nos declarauimus, quod non sentiamus cum Papistis, qui dicunt, statim postquam sacerdos missificans sacramentum accipit, corpus Christi rursum euolare in cælum, sed nos credimus, quod Christus cum suo corpore, in distributione sacræ cœnæ, nec sursum aut deorsum, nec ab vno loco in alium peruadat. Quòd si igitur Christus nihil eorum cũ corpore*

Ergo fundamentum corporalis præsentiæ nõ est specialis ꝓmissio Verborum Cœnæ.

Contra Iesuitas Ingolstadienses.

Lucas Osiander pro Vbiquitate corporis Christi.

Ex his lector de vero sensu libri Bergensis iudicare debet.

Anno 1577. folio 33.

Corpus Christi etiam ante ritũ cœnæ esse realiter in pane.

corpore ſuo facit, neceſſarium eſt profectò, quod cũ ſancta humanitate ſua iam antea Vbique præſens adſit, (quãuis ſupernaturali, cæleſti, & humanæ rationi incomprehenſibili modo) vt in cibum & potũ ſe dare poſsit, in omnibus ijs locis, vbi ſacra ipſius cœna iuxta inſtitutionẽ eius celebratur. Etenim ſi non iã antea ibi præſens adeſt, neque etiã de cælo deſcendit, quid amplius tũc in Dominica cœna remanebit, quã panis tantũ & vinum, abſq; corpore & ſanguine Chriſti? Atque hoc bene affecti Chriſtiani, præcipuè verò miniſtri Eccleſiæ, quorũ officiũ eſt ſincerã doctrinã contrà falſam defendere, diligenter perpendere debẽt. Nã ſi Chriſtũ ſancta humanitate ſua non ſinunt iã antea vbiq; præſentem adeſſe, & tamen non volũt etiam ipſum, Papiſtico more, aſcendere, & deſcendere, vel ab vno loco in alium migrare, facilè illis accidere poteſt, vt per nactẽ, ignorantes, & antequã aduertãt, Zuingliani fiãt, nec amplius huic errori reſiſtere poſsint.

Nota bene.

Vbiquitas fundamentum corporalis præſentiæ.

Item: *Hoc quidẽ probè intellexit magnus ille Heros D. M. Lutherus, ideoq; ad refutandũ hunc Zuinglianũ errorẽ, articulum iſtũ de perſonali Vnione duarũ naturarum in Chriſto, & quod inde cõſequitur, nẽpe, quod Chriſtus etiã ſecũdũ humanã naturã omnia poſsit, omnia ſciat, & vbiq; præſens adſit, multis in locis admodũ ſeriò vrſit & inculcauit.* Et poſt: *Intelligũt enim Zuingliani, ſi hoc fundamentũ euertere poſſent, quod ex reliquis argumẽtis nihil aduerſus eos poſſet obtineri.* Itẽ: *Nõ ſequitur autẽ, qđ etſi corpus & humanitas Chriſti ſit Vbiq;, imò etiã in omni cãtharo ſcypho, vitro, & in omni pane, ideo etiã ibi poſsit edi & bibi. Nõ enĩ eſt naturaliter ibi, & tali modo, vt in quouis pane mãducari, & ex quouis cãtharo sãguis ipſius bibi poſsit.* Itẽ: *Hoc modo de pſona Chriſti, q etiã ſecũdũ humanitatẽ ſuã ſit omnipotẽs & Vbique, credere & ſentire tenemur, etiãſi nulla vnquã de cœna Domini excitata fuiſſet controuerſia.* Hæc itaq; ſic ex iſto primo Lutheri fũdamẽto, pro Auguſtanę ſcilicet cõfeſſionis ſenſu explicãdo, Vbiquitatis, falſique Chriſti Apoſtoli & præcones: qui niſi hæc ita ſe habeant, & pro veris recipiã:

folio 36. Similes habent labra lactucas.

folio 38. Verba Chriſti nõ ſufficiũt protuenda corporali præſentia.

folio 40.

folio 52. Verba Cœnæ Domini nõ ſunt cauſa multipræſentiæ.

Vnio perſonalis non eſt coexiſtẽtia humanitatis cum Diuinitate ſed ſubſiſtentia aſſumtæ carnis in Verbo.

tur, omnino in castra Cinglianorũ & Caluinistarũ trãseũdũ esse tragico clamore vociferãtur. Nititur autẽ fundamentũ istud affectata, vt opinor, ignorantia veręq; Vnionis duarũ naturarum in Christo secundũ hypostasin, qua, sicut humanitas Christi in omnibus naturæ suæ proprietatibus assumta est in subsistentiã personæ Verbi, cuius per hoc propria, & non cõmunis cuiusdã per se hominis facta caro est: Ita quoq; in hac ipsa Vnione, in qua finita humanæ naturæ substantia, in infinita personæ Verbi hypostasi per assumtionem subsistit, proprietates ipsius non minus, quàm ipsa natura, saluæ & incõfusæ manent, & eandẽ cũ ipsa natura in Deo Verbo subsistentiã habent. Sic enim, vt Augustinus ait, *semper incõmutabilis manet carnis & humana natura Christi veritas, quã sibi vnitã diuinitas gerit.* Et rectè Fulgẽtius ait, *in deifica illa Vnione vera Christi humanitas naturalẽ prorsꝰ retinuit nostri generis veritatẽ.* Et Leo Romanus: *In Christo vtrag, natura ita cõcurrit, vt in eis nec pprietas absumatur, nec pſona geminẽtur.* Vnde Damascenꝰ, *Vnionẽ hãc secũdũ hypostasin dictã esse*, ait, *quia ex duabus differẽtibus naturis, & earũ pprietatibus, vna sit subsistẽs pſona. Esse enim ideo secũdũ hypostasin tantũ, vt vtriusque per hoc naturæ veritas, & naturaliũ proprietatũ inconfusa differẽtia seruetur.*

Modus Vnionis personalis.

De fide ad Petrum.

lib. de incarnatione & gratia.

In Epist. ad Palestinos.

Lib. 3. de Dialectica. cap. 4. & vltimo.

Per hãc Vnionẽ secũdũ hypostasin Deus in terra visus, & inter homines cõuersatus esse dicitur, nimirũ, quia humanæ naturæ proprietates omnes, propter hypostasis, in qua subsistit, identitatem, de ipso Dei Filio, per cõmunicationẽ Idiomatũ, in concreto dicuntur: vt, Filius Dei Verbũ est homo visibilis, palpabilis, passus & crucifixus, quod nulla ratione sic fieri, aut verum esse posset, nisi proprietates istæ eodem modo, quo ipsa natura, in eiusdem personæ & hypostasis subsistentiam essent assumtæ & vnitæ.

Deus non videtur in se, sed in assumta, & propria sua humanitate: quod nõ est in Petro, & aliis sanctis.

Ex quibus cõsequitur, si humanitas Christi assumta est & subsistit in Vnitate personæ Verbi, vt finita, palpabilis, localis, & circumscripta (cuius contrariũ prorsus hęretico

errore contra Bezã docent Iacobus Andreas,& Selneccerus)Ergo per hoc, quòd in ista vnione vna cum verbo persona est,non incipit extra assumtas istas proprietates esse impalpabilis, incircumscripta, & vbique coexistens cum verbo. *Corpus enim Christi*, ait Theodoretus, *manens in propria natura, & mensura, vnitur Deo secundum hypostasin.* Non solùm itaque manifestè falsum,sed & impossibilis contradictio est,si corpus,& humanitas Christi assumta est in vnitatem personæ verbi,secũdum naturales suas proprietates, quæ propter assumtionẽ hanc de ipso Deo verbo per communicationem Idiomatum verè & realiter dicuntur,& tamen aliam esse rationẽ & considerationem humanæ naturæ Christi, per hypostaticã vnionem, quàm secundum naturales suas proprietates. Extra quarum assumtionem in vnitatem hypostasis & subsistentię, sicut Deus non posset dici visibilis & palpabilis homo,ita nec verè homo futurus esset.

In dialog.

Kemnitius folio 512.

Admirandum est autem erroris mysterium,quòd,quoniam in asserenda atque defendenda ista corporalis præsentiæ Christi in Dominicæ cœnæ symbolis opinione,semel discessum hac parte à veteris & orthodoxæ Ecclesiæ doctrina fuit, etiam hinc præcipuum Christianæ religionis de incarnatione & duarum naturarũ in Christo vnione articulum, reuocatis in Ecclesiam iam olim legitima cognitione damnatis erroribus,deprauari,& peruerti fuerit necesse, iustissimo certè Dei iudicio,propter adeò peruicaci & fraudulẽto conatu hactenus tam multo tempore oppugnatam veritatem. Nam sicut hoc ab Orthodoxi consensus Autoribus perspicuè, & irrefutabili totius antiquitatis testimonio demonstratum est, veteres & Orthodoxos patres in Ecclesia, à mysticis Dominicę cœnæ symbolis,velut quadã figura, naturalem & consubstãtialem nobiscum corporis Christi veritatẽ & vnitatem, in

Testimonium oppugnatæ veritatis ex erroribus, qui inde exorti fuerunt.

Vide cap. 5. Orthodo. consens. à fol. 99.

Qualis sit veritas corporis Christi in Eucharistia.

inconfusis, & inconsumtis humanæ naturæ proprietatibus, aduersus Marcionem, Manichæum, Apollinarem, & Eutychen, probasse liquet: ex quorum sentẽtia Chrysostomus ad Cæsarium Monachũ contra Apollinarem definit, *Corpus Christi, cuius appellatione panis per sanctificationem Sacerdotis dignus est factus, sic incorrupta naturæ suæ proprietatis agnitionem in ipsa vnione conseruare & retinere, sicut ipsa natura panis manet.* Et eodem modo Theodoretus contra Eutychen, *Corpus Christi, quod diuina mysteria, ait, repræsentant, & cuius in mysteriorum institutione efficimur participes, priorem suam retinet formam, figuram, circumscriptionem, & essentiam, quamuis immortale sit factum, & ad dexteram Patris in gloria collocatum.* Et Tertullianus, *A panis & calicis sacramento probasse* se dicit, *corporis & sanguinis Domini veritatem, contra phantasma Marcionis.* Ambrosius sic corporis Christi veritatem in sacrificii oblatione, quæ in communione Eucharistiæ fit, confitendam esse vult, quatenus in ea, quod diuinum & humanum est, per diuersas naturæ proprietates discernitur. Non est igitur hæc veritas inuisibilis, & ab omni proprietate naturæ abstracta corporis in pane existentia. Gelasius Romanus Episcopus talem carnis Christi veritatem in incarnationis & personalis vnionis mysterio cõtra Eutychianos, credendam esse ait, qualem in actione mysteriorum sacramenti, velut in imagine seu typo ipsius profitemur, ac proinde quia in mysterio sacramenti manet substantia & natura panis, ideo etiam in personalis vnionis & dominicæ cœnæ mysterio veritatem carnis Christi in saluis suæ naturæ proprietatibus manere.

Ergo panis non est corpus Christi visibile & impalpabile.

Dialog. 2.

Lib. 4 contra Marcionem.

De incarnat. cap. 4.

Iacob. Andreas in primis thesibus Ingolstad. & lib. contra Bezam.

E contrà verò Vbiquistæ à personali, quæ per incarnationẽ facta est, vnione vtriusque naturæ vbiquepræsentiam, ac per hoc inuisibilem, & ab omnibus humanæ naturæ proprietatibus abstractam corporis Christi existentiam

tiam in pane asserere,& inferre conantur. Quę doctrinæ ratio cùm non sit catholica & Orthodoxa,necessariò erronea,& schismatica esse conuincitur.

Videamus autẽ, quid Orthodoxi in Ecclesia patres de hac vnitate personæ Dei & hominis Christi, & quàm hi longè rectius senserint,quã Vbiquistę & Bergẽses patres.

Origenes in Matthęum: *Qui dicit discipulis suis, Ecce ego vobiscum sum,vnigenitus Dei est, Deum verbum, qui non est corporeo ambitu circumclusus: Secundum hanc diuinitatis suæ naturam non peregrinatur à nobis, sed peregrinatur secundum dispensationem corporis,quod suscepit. Hæc autem dicentes non soluimus suscepti corporis hominem (cùm scriptum sit apud Ioannem: Omnis Spiritus qui soluit Iesum,non est ex Deo) sed vnicuique substantiæ suam proprietatem seruamus. Quasi homo peregrinatur, qui est vbique secundum diuinitatis naturam. Non enim est homo,qui vbicunque duo vel tres in nomine eius congregati fuerint,sed virtus diuina quæ erat in Iesu:neque homo(hoc est, secundum humanitatem) nobiscum est omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Homil. 33. in Matth.

Ergo ab hac proprietate probari & inferri potest corporalis absentia.

Tertullianus Christum non tantùm hominem sed & Deum esse probaturus,ait,*Si homo tantũmodo est Christus, quomodo adest vbique inuocatus? cùm hæc hominis natura nõ sit, vt adesse omni loco possit.* Quod si Tertullianus Christum non ex natura humana,sed per communicationem Maiestatis, humanitate sua vbique adesse posse intellexisset,etiam hoc modo per communicationem Maiestatis Christum Deum esse fateri oportuisset. De Trinitate.

Nazianzenus: *Docemus eundem Christum patibilem in carne,impatibilem diuinitate,circumscriptũ corpore, incircumscriptum spiritu,visibilẽ,& qui animo cerni atque intelligi potest,qui loco continetur,& loco non continetur.* Quę si vera de vno eodémque in vtraque natura Christo doctrina Apud Theodoretum.

Talis non est corporalis præsentia in pane. Ergo falsus Christus.

est, falsus vtique Christus est, quem abvnitate personę secundum vtramque naturam, inuisibilem, incircumscriptum, & extra locum vbique esse docent Vbiquistæ.

Lib. 9. cap. 6 in Ioannem.

Cyrillus: *Credere oportet fideles, quamuis corpore suo absit Christus, virtute tamen sua omnia & nos gubernare, adesséque semper ipsum omnibus, qui eum diligunt. propterea dicebat, Amen dico vobis vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in media ipsorum. Nam quemadmodum quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat, & Angelorum consortium non relinquebat: Eodem nunc modo cùm sit in cœlis cum carnè, terram tamen replet: & cum iis est, qui ipsum diligunt. Obseruandum est enim quod quamuis secundum carnem à nobis discessurus erat (adest enim semper virtute Deitatis) modico tamen tempore se cum discipulis futurum dicebat, apertè seipsum nominans, ne quis in duos Filios Christum diuidere auderet, sed vt vnum omnino esse quisque credat, non quòd vna sit natura, sed quia vnus in vtraque natura Christus est.* Et post: *Quomodo autem, dicet quispiam, pollicitus est, se cum discipulis futurum? Nullus ambigit, cùm ad cœlos ascenderit, quamuis virtute Spiritus semper adfuerit, præsentia tamen carnis ipsum abfuisse. Oportet itaque non solum in carnem Christi, verùm etiam in diuinitatem ipsius respicere, quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamè summa cum potestate, nec quicquam prohibere potest, quin omnia repleat: non enim dimensionibus circumscriptibilis est diuina natura. Quare cùm Deus & Homo verè sit Christus, oportuit discipulos intellexisse, ineffabili Deitatis potestate vna cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset: quoniam Deitatis ratione, non carnis præsentia possunt seruari.* Et post: *Deum atque hominem verè seipsum ostendens, hinc discipulis intelligendum dedit, non minus se absentem, quàm præsentem, salutem illis allaturum, & qua ratione, cùm adesset vt homo, ea etiam absentem seruare posse:*

Vnus idémque filius præsens & absens, secundù aliud & aliud.

Lib. 10. cap. 38.

Contra coexistentiam carnis cum diuinitate in omnibus locis

Ergo per hoc iam soluitur personæ vnitas. Cap. 22.

posse. Non enim circumscribitur loco Deitas, nec à re aliqua abest: sed omnia implens, & omnia penetrans, in omnibus & extra omnia est. Et post: *Nihil ergo mali vobis accidere potest, ait, etsi carne abfuero, cùm Deitatis meæ potestas, qua vos hucusque seruauit, etiam in posterum sit seruatura. Cùm itaque Deitati seruatio tribuatur, non debetis carnis præsentiam propterea desiderare.* Hæc & alia eiusmodi Cyrillus, qui si per hoc naturarum in Christo separationem & distractionem doceri & introduci sensisset, quomodo hanc in Nestorio reprehendere & damnare potuisset? ac proin de qua fide & conscientia hæc ipsius sententia à Patribus Bergensibus, in doctrina de persona Christi, Anathematismo sexto, pro Sacramentario & Nestoriano errore est condemnata?

Hæc damnat liber Bergensis. capit. Anathema. 6.

Hoc considerēt subscribētes libro Bergensi.

Theodoretus: *Nos talem Diuinitatis & Humanitatis prædicamus vnionem, vt intelligamus vnam personam, & indiuisam, & eundem agnoscamus Deum & hominem, visibilem, & inuisibilem, circumscriptum & incircumscriptum, & alia omnia, quæcunque diuinitatem, & humanitatem designant, vni personæ accommodamus. Si verò vna natura Christus est, quomodo possunt illi accommodari contraria? Nequetamen per hoc separamus à Deo Verbo carnem, neque vnionem facimus confusionem: sed ad differentiam respicientes naturarum, consideramus, quid conueniat Diuinitati, & quid accommodatum sit corpori.* Hinc autem quid aliud infertur, quàm hac distinctione proprietatum vnitatem personæ non solui, nec carnem à Verbo separari, sed per vtriusque naturæ inuisibilitatem, & incircumscriptionem naturarū differentiam tolli, atque confusionem per vnionem introduci?

Dialog. 2. & 3. cōtra Eutychen, & Nestorium.

Augustinus in Epistola ad Dardanum: *Non separamus ab homine Deum. Secundum hominem namque in terra erat, & non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis, qui est in cœlo, quamuis, secundum*

quod Filius Dei erat, esset in cælo, secundum quod verò Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondúmque ascenderat in cælum. Et post: *Christum itaque Dominum nostrum, Vnigenitum Dei Filium, eundem hominis Filium, vbique totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in eodem templo esse inhabitantem Deum, in loco autem aliquo cæli, propter veri corporis modum.* Item: *Semper quidem nobiscum est Christus diuinitate sua, sed nisi corporaliter à nobis abesset, semper corpus ipsius carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus.* Item: *Vnus & idem Deus, & homo, ac per hoc per distantiam Diuinitatis, & infirmitatis* (id est, secundùm differentiam proprietatum vtriusque naturæ) *Filius Dei manebat in cælo, & Filius hominis ambulabat in terra. Per vnitatem verò personæ, qua vtraque substantia vnus est Christus, & Filius Dei ambulabat in terra, & idem Filius hominis manebat in cælo.* Item: *A quibus homo ascendebat, Deus non recedebat. Et tamen idem Christus Deus & homo. Ergo ibat per hoc, quod homo erat, & manebat per hoc, quod Deus erat. Ibat per hoc, quod in vno loco erat, manebat per hoc quod Deus erat.* Item: *Pauperes*, inquit, *semper habebitis vobiscũ, me autem nõ semper: hoc loquebatur de præsentia corporis sui. Nam secũdum Maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem, & inuisibilem gratiam impletur quod dictum est: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi: Secundum carnem verò, quam assumsit, ex Virgine natus, in cruce passus, sepultus, & resurrexit, non semper eum vobiscum habebitis.* Item: *Ascendit ante vos, sic venturus, vt eum vidistis euntem. Tollitur corpus ab oculis vestris, sed non separatur Deus à cordibus vestris. Videte ascendentem, credite in absentem: Sperate venientem, sed tamen per misericordiam occultam sentite præsentem. Ille enim qui ascendit in cælum, vt tolleretur ab oculis vestris, promisit vobis, dicens: Ecce, ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Hæc est Orthodoxæ fidei confessio

Augustini,

Ergo Vbiquitas pugnat cum veri corporis modo, & consequenter cum vero Christo.

Sermo. 60. de Verbis Domini.

Lib. 1. de peccator. me. & remiss. cap. 2.

Tractat. 87. in Ioan. 1.

Tractat. 50. in Ioan.

Psal. 45.

Augustini, cui colaphum hunc infligit Selneccerus: *Christus inquit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Ergo etiam secundum humanam naturam est nobis præsens, συμπαντὸς παρουσίᾳ, & in seipsa, nec tantùm qua ratione Deus est.* Contra Bezam fol. 124.

Fulgentius ad Thrasimundum: *Vnus idémque Christus homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre. Vnus idémque secundum substantiam humanam absens cœlo, cùm esset in terra, & relinquens terram, cùm ascendit in cœlum.* Et post: *Immensitatem verò Diuinitatis suæ ostendit discipulis dicens: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Quomodo autem ascendit in cœlum? nisi quia verus & localis est homo: Aut quomodo adest fidelibus suis? nisi quia immensus & verus est Deus.* Et post: *Ne quis autem cùm in vno Christo cœperimus ea, quæ ad Diuinæ, & humanæ naturæ proprietatem pertinent, demonstrare, aut duos Christos nos existimet credere secundum vtramque naturam, aut Quartam à nobis inseri putet Trinitati personam. Nos enim fidem retinentes Euangelicæ veritatis, sic in Mediatore Dei & hominum Christo propria vniuscuiusque naturæ agnoscimus, vt vnitatem personæ nullatenus diuidamus, scientes, quod vtriusque in Christo substantia manserit vnita proprietas.* Item in libro de incarnatione & gratia: *In Christo vnigenito Dei Filio personam non diuidunt propria naturarum, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere, vel auferre.* Falsissima est itaque ab vnitate personæ ad vtriusque naturæ Vbiquepræsentiam illatio.

Christus in vnione secundum carnem est homo localis, & circumscriptus.

Proprietatum distinctio nō est vnionis personalis dissolutio.

Ergo non vbicunque est Diuinitas, ibi etiā r. aliter coëxistit humanitas.

Vigilius Martyr, pro Concilio Chalcedonensi: *Vide vtriusque naturæ mysterium. Dei Filius secundum humanitatem recessit à nobis, hoc est, abstulit ex hoc mundo naturam, quam accepit à nobis: Secundum verò Diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego vobiscum sum. Est igitur nobiscum, &*

Idem Cyrillus, & Augustinus, & tota Orthodoxorū Patrum vetustas.

non nobiscum: Quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit Diuinitate sua. Et post: *& Verbi & carnis una esset natura, quomodo cùm Verbum vbique sit, non etiam vbique inueniatur caro? Nam quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo: Et nunc quia in cœlo est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundum ipsam Christum expectemus venturum de cœlo, quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. Cùm itaque Verbum vbique sit, Caro autem vbique non est, apparet, vnum eundémque Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem Vbique secundum naturam Diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ. Circumscribitur loco, secundum naturam carnis suæ: & non capitur loco, per naturam Diuinitatis suæ. Hæc est fides & Confessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.*

Hæc non loquuntur de diuersis humanæ naturæ præsentiæ modis.

Contrà adæquationem naturarum in vnione.

Hæc fides in libro Bergēsi exeranda impietate est dānata.

Synodus Chalcedonensis cùm per hypostaticam vnionem non esse sublatam naturarum differentiam, sed semper & Vbique, etiam in ipsa vnione, cuiusque naturæ saluas & inconfusas proprietates esse & manere definit, quomodo cùm hac œcumenica definitione consistere potest, quod de vnione personali consequens esse volunt Vbiquistæ, quòd Christus secundum vtramque naturam sit inuisibilis, impalpabilis, incircumscriptus, & Vbique præsens, per realem videlicet harum proprietatum à diuina natura in humanam communicationem & effusionem? Nam quod per hanc hypostaticam seu personalem vnionē, differentiā naturarum nusquam sublatā esse dicit Synodus, quia videlicet salua sit vbique ipsarū proprietas, per hoc à contrario ostendere & innuere voluit, quod admissa proprietatū mutatione, etiā ipsa naturarū differentia tollatur & euacuetur, earúmque confusio introducatur.

Hic respondeant Patres Bergenses.

Sicut

Sicut autem ex hac Chalcedonensis Synodi definitione, non est alia vera Christi, quàm personalis vtriusque naturæ in inconfusis, & perpetuò differentibus proprietatibus subsistentia; ita quoque non est alia ipsius vera præsentia. Eáque est hactenus omnium Pontificiorum doctrina, à qua corporalem illam in Eucharistia præsentiam tantùm peculiaris miraculi commendatione & institutione exceptã esse dicunt, quod sanè multò rectiùs & verius sic dici fatendum esset, si tenor & proprietas verborum Cœnæ directè sonaret incorporalem sub specie panis præsentiam. Sic autem ea dere Thomas Aquinas, qui respondens argumento, quòd, cùm Filius Dei humanam naturam assumserit ad nostram salutem, magis salutare fuisse videatur hominibus, si semper nobiscum conuersaretur, *Licet*, inquit, *præsentia corporalis Christi subtracta sit fidelibus per ascẽsionem, præsentia tamen Deitatis semper adest fidelibus, secundum quòd ipse Matthæi vltimo dicit: Ecce, ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. qui enim ascendit ad cœlos, non deserit adoptatos, vt Leo Papa dicit. Ipsa igitur ascensio Christi in cœlum, qua corporalem præsentiam suam nobis subtraxit, magis fuit vtilis Ecclesiæ, quàm præsentia corporalis fuisset: Primò propter fidei argumentum. Secundò propter sublevationem spei. Tertiò ad dirigendum charitatis affectum in cœlestia. In Sacramento tamen Eucharistiæ corpus Christi incipit de nouo præsens esse, non per loci mutationem, sed per conuersionem substantiæ panis in ipsum.*

[1] Thom. 3. parte summæ, quæ. 57. art. 1.

quæst. 75. art. 2.

Libet autem & Adelmanni Leodiensis ad Berengarium, cuius sub Fulberto Carnotẽsi Episcopo condiscipulus fuit, sententiam referre. Is enim, quomodo Christus Ecclesiæ suæ, & instituto in ea ministerio semper præsens adsit, explicans, sit ait: *Christus cùm immortalis effectus ad cœlos ascensurus corporaliter esset, Ecce ego, inquit, vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Quia enim ex duabus diuer-*

Vide Orthodo. Consen. fol. 107.

sis naturis, altera circumscripta, altera incircumscripta, comper-
Ascensio in cœlum est loci mutatio. *sonatus erat: per circumscriptam de loco ad locum migrabat, per*
incircumscriptam verò, quâ illocaliter vbique est totus, cum eis
Respõdet Vbiquistis. *remanebat, nec tamen Filium Dei à Filio hominis separabat.*
Denique & priusquàm Filius hominis actu ascenderet in cœlũ,
cum Filio Dei ibi erat, ipso testante, vbi ait: Nemo ascen-
dit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est
in cœlo. Si ergo ibi erat per vnitatem personæ, quò nondum
ascenderat per proprietatem naturæ, propter eandem vnita-
tem in cœlum ascendens, cum hominibus in terra remanebat.
Hæc sic Adelmannus, Berengarium de veteris, & Orthodoxæ Ecclesiæ sententia quatenus Christus instituto in ea ministerio suo inuisibili operatione perpetuò præsens adsit, admonere volens.

Nimis igitur frœdus & crassus error est, in ipsum incarnationis mysteriũ & de persona Christi articulum incurrens, pro tuenda corporis ipsius in pane corporali præsentia fundamentũ in vnitate personæ Dei & hominis Christi, & quæ huic stupidissima absurditate infertur, vtriusque naturæ vbiquepræsentia, ponere. Proinde etiam valdè tetrum libri Bergensis δύσφημα est, non verum, sed vilem Christum fore, nisi secundum vtramque naturam vbique
Brentij turpis error, in non intellecta persona lis vnionis vera ratione, ad quẽ conniuẽt Dominatores Fidei. præsens adsit: Neque minus insolens, & proterua est ista Iohannis Brentij, vbiquisticæ sectæ instauratoris & antesignani, contra superiora Orthodoxæ vetustatis testimonia expostulatio, cùm sic in libro Recognitionis scribit:

Quæso te mi Lector, reputa cum animo tuo, an non is, qui pio &
sano intellectu ex animo confitetur, diuinam & humanam na-
Brentiana vbiquitas. *turam esse inseparabiliter in vna persona coniunctas, necesse*
habeat sentire & fateri, quod vbicunque est Diuinitas Christi,
ibi etiam sit humanitas eius. Si enim hæc sint inseparabiliter cõ-
iuncta, & vnita, quomodo alicubi posset esse Diuinitas absque
humanitate eius? Quare qui Christum ita diuidunt & separãt,
vt in

vt in vno tantùm loco coniungant Diuinitatem & Humanitatem, in alijs autem omnibus collocent duntaxat Deitatem eius, isti effugere non possunt, quin, quantum in ipsis est, ex Christo duas personas faciant. Item: *Qui dicunt, humanitatem Christi, etiam in exaltatione, & Maiestate sua, in vno tantùm loco esse, siue in cœlo, siue in terra, solam autem Diuinitatem cœlum & terram implere; quid hoc aliud est, quàm ex Christo vulgarem hominem facere, & ex vna persona duas?*

Hæc omnia refutat Fulgẽtius libro 2. & 3. ad Thrasimun.

Apparet, non intellexisse Brentium, quamuis tanto Magisterij supercilio in Ecclesia ferocientem, quomodo caro & humanitas Christi vnita sit Deo verbo, secundum hypostasin, per quod non minus, quàm ipsa personæ vnitas, etiam inconfusa naturalium proprietatum differentia seruatur.

Nec iuuat recens illa Vbiquistarum distinctio, de duplici corporali præsentia, visibili videlicet secundum naturales proprietates, & inuisibili, secundum Maiestatem vnionis, quá ad eludenda scripturæ & sanctorum Patrum dicta, adeóque fucum imperitis faciendum, frequẽter vti solent & consueuerunt. Nam sic Kemnitius supra dicta Patrum testimonia, & Orthodoxam Ecclesiæ, de persona & præsentia Christi in Ecclesia, fidem, falsa interpretatione se euertere posse confidit. *Non simpliciter*, inquit, *præsentiam humanæ naturæ negant Patres, sed de modo præsentiæ alio atque alio loquuntur.*

Responsio ad effugium Vbiquistarum.

Lib. de duabus naturis in Christo. Fol. 514. Impostura Kemnitij.

Primò enim antequàm ad hanc distinctionem recurratur, ostendi & demonstrari priùs ex scriptura & rerum experiẽtia oportebat, corpus Christi vnquam simul & semel visibile & inuisibile fuisse. Alioquin hoc sine scriptura affirmans, meritò non auditur. Nam sic aliter Augustinus: *Nisi corporaliter à nobis abijsset Christus, semper corpus ipsius carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus.* Aut igitur, secundũ quod corporali præsentia adest

Christus, carnaliter videri posset: aut quia nō videtur, spiritualiter tantùm adesse creditur.

II Secundò, cùm Christus non de visibili corporis sui conditione, seu qualitate, sed de seipso, & tota persona sua dicat, *Relinquo hunc mundum, & vado ad Patrem.* Item: *Me non semper habebitis*: non possūt hæc aliter, nisi de ipsamet naturæ substantia, secundum quam recessit à nobis, & non est amplius nobiscum, intelligi.

III Tertiò: Cùm Patres de corporali absentia ab Ascensione Christi in cœlum differunt, nō eiusdem corporis visibilem & inuisibilem modum, sed carnem & Diuinitatē, hoc est, ipsas naturas, quarum vna Deus, & altera homo est Christus, differentibus suis, etiam in ipsa vnione, proprietatibus, secundum quas vel nobiscum, vel non nobiscum sit, inter se opponunt, eóque modo Christum in vnitate personæ verum Deum, & hominem agnoscendum esse volunt.

Hinc discat lector, quid de patribus Bergēsibus sentire debeat.

Vt itaque hæc Vbiquistarum & Bergensium Patrum detestandæ fraudis impostura, qua Orthodoxæ vetustatis testimonia, cōmentitio isto suo duplici humanitatis Christi præsentiæ modo, deprauare, & doctrinam Ecclesiæ, de persona & præsentia Christi in Ecclesia, corrumpere conati sunt, manifestæ falsitatis conuincatur, sic veteris Ecclesiæ hac de re sententiā explicat Haymo. *Vnde quaritur,* inquit, *quare dicat, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, cum alibi dixisse legatur, Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, & quaretis me, & non invenietis: Ad quod dicēdum, quia mediator Dei & hominū Dominus Iesus Christus sicut verus homo, ita verus Deus est credendus, & aliquando de assumtæ humanitate loquitur, aliquando verò de potentia Diuinitatis. Quod ergo ait, Adhuc modicum vobiscum sum, ad assumtam pertinet humanitatem, in qua potuit de loco ad locū ire: quod verò hic dicit, Ecce ego vobiscum sum*

Homilia Feria paschæ, Matth. 28. Quæstio.

Responsio à duplici natura Christi.

Ascensio localis migratio.

sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, ad Maiestatem pertinet Diuinitatis, per quam vbique est præsens, vbique totus, nec in tempore accedit, vel in tempore recedit, sed semper aqualiter, & semper ineffabiliter manet. Et alibi: *Quærendum est autem, quare dicat, Vado ad eum, qui misit me, cùm alibi discipulis dixisse legatur, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Sed hæc quæstio facilè eorum mentibus patet, qui in vno mediatore Dei & hominum vtramque naturam, Diuinam & humanam, confitentur. Manet ergo cum discipulis per Diuinitatem, & vadit ad Patrem, per humanitatem, à quo nunquàm discessit per Diuinitatẽ sicut ipse dicit: Ego & Pater vnum sumus. Venire & abire humanitatis est: manere & esse, Diuinitatis, & ideo cum discipulis mansit per hoc, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Vadit ad Patrem, per hoc, quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, sicut ipse ait, Relinquo hunc mundum, & vado ad Patrem.*

Humanitas Christi non est vbique tota. Homilia Dominic. 4. post Paschа Iohan. 16.

Humanitas Christi non mansit nobiscum.

Falsa est itaque & nõ Orthodoxa libri Bergensis doctrina, de persona, & præsentia Christi in Ecclesia, secundum vtramque naturam, per modum vnionis personalis, sine essentialibus humanæ naturæ proprietatibus. Falsa est etiam & impudens calumnia, qua superior Orthodoxorum Patrum sententia, in Caluinistis reprehenditur & damnatur, vt Nestoriana.

Quartò. Ab hac corporali absentia contra Eutychianos probant Patres veritatem corporis. At hæc probatio non consisteret, si idem corpus non solùm visibiliter abesset, sed etiam inuisibiliter, & contra naturales veri corporis proprietates præsens adesset. Quin etiam manifesta cõtradictio inde secutura esset, si idem corpus simul abiisse, & non abiisse dicatur. IIII

Vide prolegomena in Orthodoxum consensum.

Quintò. Patres affirmant, per hanc corporalem absentiam, & differentes vtriusque naturæ proprietates, vni- V

tatem personæ non solui. Ergo non de visibilis absentiæ modo, sed de ipsa corporis veritate & substãtia loquũtur.

VI Sextò: Theodoretus, Damascenus, & Vigilius manifestè negant, imò impossibile esse dicũt, duas istas cõtrarias proprietates, visibile & inuisibile, palpabile & impalpabile, in vna eadẽque Christi humana natura simul coexistere posse, ideóque à duabus istis diuersis, & oppositis proprietatibus duas in Christo naturas esse probant. & econtra. Si Christus secundum carnem inuisibilis, & impalpabilis esse dicatur, vnius etiam naturæ ipsum cum Verbo esse oportere, fatentur, *Si enim*, inquit Vigilius Martyr, *vna est carnis cum verbo natura, necesse est, vt caro, sicut & Verbum, increata, inuisibilis, & incontrectabilis sit. aliter enim vnitatem naturæ cum Verbo habere non posset. Sed quia carnem hisce conditionibus subijcere impossibile est: Ergo etiam non est vnius cum Verbo naturæ.* Cuius argumenti contra Eutychianos adducti ratio vt constet, necessarium est omnino carnem Christi à Verbo, vt natura, ita quoque naturalibus suis proprietatibus, quales sunt, creatum, visibile, & palpabile esse, perpetuò per eam, quam in vnitate personæ cùm Verbo habet subsistentiam, differre. Alioqui sublata ista proprietatum differentia, per inuisibilem, impalpabilem, & incircumscriptam corporis præsentiam, etiam naturarum discrimen per confusionem tolli est necesse. Aut falsa est, & non valet à differentibus proprietatibus duarum naturarum sumpta probatio, si in vnam Christi naturam contrariarũ & differẽtium proprietatum existendi modus cadere potest. Hinc Nazianzenus ad Cletodium: *In Christo est aliud, & aliud, quia non est idẽ visibile, & inuisibile, vel quod æternum est, & ex tempore cæpit.*

Lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 19. & de Dial. cap. vltimo. & Leontius de sectis.

VII Septimò: Vsqueadeo ignotus est piis & Orthodoxis Patribus inuisibilis ille corporis Christi hîc in terra præsentiæ modus, vt Cyrillus de præsentia Christi in Ecclesia,

&

& mysteriorum celebratione agens, dicat, *Christum inuisibiliter adesse & apparere vt Deum, visibiliter verò in corpore suo, quod nobis videndum & tangendum prabet.* Quæ sanè Cyrillus scripturus non fuisset, si Christum secũdum humanitatẽ carnis suæ visibilẽ in cœlo, in Ecclesia autẽ secundũ eãdem humanitatẽ inuisibiliter adesse intellexisset. Lib. 12. cap. 58. in Ioan.

Postremò. Quod si caro & humanitas Christi per Maiestatem ipsius, quam ei à Diuinitate ex hypostatica vnione realiter communicatam esse, ἀνορθόδοξοι nostri Patres Bergenses nouo commento docent, vbique esse dicatur, Tamen quoniam hæc ipsorum Christo tributa Maiestas, non est ipsa carnis & humanæ naturæ Christi veritas & substantia, sed, vt Vbiquistæ definiunt, res omnium spiritualissima, & communicatum Deitatis & Gratiæ donum, per quod homo Christus non est quidẽ Deus, sed tantùm in forma Dei, & Deo æqualis, non essentia, sed potentia, non natura sed gratia, non substantia, sed Maiestate: nihil hoc prodesse posset ad asserendam carnis & humanæ naturæ Christi vbiquepræsentiam, in pluribus seu omnibus locis. Non enim per hãc fictitiam Maiestatem, secundum quam nec verè Deus, nec homo est Christus, caro & humanitas eius vnius & eiusdem cum ipsa Maiestate naturæ & condicionis est effecta, adeò, vt sicut hæc Maiestas dicitur esse vbique, ita etiam humanæ naturæ Christi veritas & substantia, de cuius vt in mortem pro mundi vita datæ, & non de Maiestatis ipsius in pane Eucharistiæ præsentia quæstio est, vbique esse oporteat. Thes. Tubing. 54. Iacobus Andreas cõtra Bezam, & de colloquio Maulbrunnensi.

Quoniam autem ea est Bergensium Patrum inuerecundia, vt non solũ quæ supra ex Orthodoxis Patribus, de corporali absentia Christi ab hoc mũdo, adducta sunt, Nestoriani erroris proteruè condemnare sint ausi, sed &, quod maioris adhuc impudentiæ est, ex eorundem Patrum cõsensu, pro defendẽda sua corporali in pane præsentia, pro- Kemnitius in libro de duabus naturis.

bare se velle & posse iactare non erubescant, hanc videlicet Maiestatem humanitati Christi in vnione communicatam esse, vt in se possit esse omnipotens, incircumscripta, & vbique: placet vnum aut alterum testimonium ad refutandas istas præstigias adducere. Origenes de modo præsentiæ, quo Christus Ecclesiæ & ministerio suo præsens est, sic ait: *Si virtus Iesu congregatur cum his, qui congregantur in nomine eius, nō peregrinatur à suis, sed semper præstò eis est.* Item: *Per Euangelistarum & Apostolorum prædicationem, per corporis & sanguinis sui sacramentum, & per gloriosum crucis signaculum nobiscum est Christus.* Quem Augustinus secutus esse videtur, cùm de hac ministerij in Ecclesia præsētia sic scribit. *& bonus es, & ad Christi corpus pertines, habes Christū in præsenti & futuro. In præsenti per fidē, in præsenti per signū Christi: in præsenti per baptismatis Sacramētū, in præsenti per altaris cibū, & potū. Habes Christū in præsenti, sed habebis semper, quia cùm hinc exieris, ad illum venies, qui dixit Latroni: Hodie mecū eris in paradiso.* Ambrosius de his, qui initiātur mysteriis; *Crede*, inquit, *adesse Dominum ipsum, inuocatū precibus sacerdotum. Qui enim dixit: Vbi duo vel tres in nomine meo congregati sunt, ibi ego in medio ipsorum sum. Quātò magis vbi est Ecclesia sua & vbi mysteria ipsius sunt, dignatur nobis suā impartiri præsentiā? Crede ergo ibi Diuinitatis adesse præsentiam. Operationē credis, & non credis præsentiam.*

Tract. 31. in Matthæum.

In diuersos Euang. locos cap. 29.

Præsentia ministerij.

Tract. 50. in Iohannem. Vide Orthodo. Consens. cap. 6.

cap. 2. & 4. Vide Nyssenum in Catechesi. cap. 34. & supra Adelmannum.

Fpl. 511.

Impudens igitur Kemnitij calumnia est, qui hoc modo non integrum Christum, seu integram personam, sed dimidium tantùm in Ecclesia adfuturum esse dicit Christum, nisi etiam secundum assumtam naturam præsens adesse statuatur. Hoc enim si generaliter de præsentia Christi in Ecclesia verum esse debet, necesse est omnino, vt aut Christus secundum humanam naturam hîc apud nos permanserit, aut quòd aliquando post ascensionem ad Ecclesiam redierit, & etiam nunc subinde reuertatur.

Sic supra Lucas Osiander.

At-

At si primum concedatur, tunc hæc verba scripturæ: *Recessit ab eis, & ferebatur in cælum*, hoc sensu intelligi & explicari oportebit, videlicet: Permansit apud nos, & visibilem præsentiæ modum in inuisibilem commutauit. Item: *Relinquo hunc mundum*: id est, visibilem conuersationis modum deposui, & assumsi Maiestaticum corporis modum, cuius nulla extensa quãtitas, sed totum vbique est. Hoc autem totius Orthodoxæ Ecclesiæ testimonio nihil aliud quàm mera scripturę corruptela est. Ac ideo non sine causa apud Theodoretum Dialogo secundo quærit Orthodoxus: *Quando Christus corpore suo cœperit esse inuisibilis, & absque humana forma incircumscriptus.* Secundum verò concedi non potest, scriptura & ratione repugnante. Non enim aliunde, quàm è cœlo, quò profectus abijt & recessit, nec aliter, quàm sicut visibili ascensione assumtus est, rediturus expectatur Christus, sicut hoc Angeli testantur. Deinde quia Christus corpore & humanitate sua non posset è cœlo ad Ecclesiam in terra, vbi per ascensionem semel esse desiit, rediisse verè dici, nisi per quandam loci mutationem, sicut per hanc loci mutationem à nobis recessit. Nam, vt Gregorius Nyssenus ait, *Qui dixit, Vado, localem mutationem significat.* Et Damascenus lib. 4. cap. 1. *Ascensio ex terra in cælum, & iterum descensio & aduentus, actiones sunt circumscripti corporis. Sic enim rursus veniet ad nos, sicut vidistis eum ascendentem in cælum.* Et Augustinus Tracta. 31. in Ioannem: *Solus in Christo Deus sic venit, vt inde non discedat, sic redit, vt nos non derelinquat. Homo autem secundum corpus in loco est, & de loco migrat, & cùm ad alium locum venerit, in eo loco vnde venit, non est. Deus verò implet omnia, & Vbique totus est, nec secundum spacia locorum tenetur.* Et Athanasius apud Vigilium: *Quomodo dixit, Vado ad Patrem, cum quo semper erat, & à quo nunquam recesserat? (Eius est enim ire, & venire, qui aliquibus locorũ terminis cir-*

Sic intelligit Andreas Musculus, & Kemnitius.

In Actis 3. cap.

Augustinus Theodoretus & Damascenus.

cumſcribitur, & eum in quo erat, deſerere locum, vt ad alium, vbi non erat, veniat) niſi quia vtique de illo quem aſſumſerat homine loquebatur. Caterùm Verbi Diuinitas, vniuerſa implens, nullis locorum terminis ſeparatur: ſicut nihil eſt, vnde diſcedat, ita nihil eſt, quò veniat. Hoc autem admiſſo, quod poſt aſcenſionem in cœlum denuò ad Eccleſiam ſecũdum humanitatem carnis ſuæ redierit Chriſtus, tunc duo ſequentur, quorum vtrumque, vt etiam ipſe Thomas Aquinas fatetur, falſum, & cum articulis fidei pugnans eſt. Primùm enim ſequetur, quòd hac loci mutatione deſiiſſet eſſe in cœlo. Secundò, quòd impoſſibile eſſet, vt hoc modo, locali motu, ad diuerſa ſimul loca tendere & peruenire poſſet. Proinde ſic Auguſtinus: *Aſcendit in cœlum, vnde nunquam receſſit.* Et Ignatius: *Aſſumtus eſt in ſedem paternæ dexteræ, vbi tamdiu permanet, donec aduerſarij ſui ſubijciantur pedibus ſuis.* Iuſtinus in Apologia ſecũda pro Chriſtianis: *Deus Pater*, inquit, *Chriſtum ex mortuis excitatum, ſubduxit in cœlum, ibíque detenturus eſt, donec feriat omnes damonas inimicos eius, compleatúrque numerus bonorũ iam olim electorũ.* Quibus, ſi poſſunt, reſpondeant Patres Bergenſes.

Tertia part. qu. 75. art. 2.

folio 512.

At verò dicet Kemnitius: Sanctorum Patrum ſentẽtias non habendas eſſe, vt Canonicas: ſed poſſe nos eas, vbi diuinarũ ſcripturarũ authoritati non cõgruunt, cum ipſorũ pace, & ſalua, quę iis debetur, honorificẽtia, ex ea libertate, ad quã vocauit nos Dominus, reſpuere. Quòd ſi Kemnitio ita cõſtitutum eſt, vniuerſum totius Orthodoxæ Eccleſiæ conſenſum, in hoc de perſona Chriſti, & quomodo is Eccleſię ſuæ prę̃ſẽs adſit, articulo, reſpuere, priuſquã ei in hoc aſſentiamur, ad iſta nobis, ſi poteſt, reſpõdeat. Primò, An omnes in vniuerſum Orthodoxos Patres, adeóque totam Eccleſiã, à mille quingẽtis annis, in iſto articulo aberraſſe, exiſtimet ipſe, nobíſq; perſuaſum eſſe velit? Secundò, An cõtra vniuerſalẽ veteris Eccleſiæ conſenſum nos talem de perſona

Hanc libertatem aliis non concedunt ea-dem ſcipſos.

I

II

persona Christi doctrinã amplecti velit, quæ nullũ habet in tota Orthodoxa Antiquitate testimoniũ, qualis est illa de vtriusq; naturæ Christi, propter personæ vnitatẽ, Vbique præsentia. Item: de sublatis ab humana natura Christi essentialibus proprietatibus, quatenus cõsideratur ratione hypostaticæ vnionis, & dexteræ Dei: An statuat, pro certo articulo fidei, & vero scripturæ sensu habendũ esse eũ, qui ab omni Christianæ Ecclesiæ initio vsq; ad hęc tẽpora fuit ignoratus? Tertiò, Cur singularẽ vnius Lutheri sententiã, qui tamẽ ab Orthodoxa Antiquitate, sua opinione, dissentire videri non voluit, recipi oportere velit? Quartò, Qua ingenuitate, fide, & cõscientia solos Caluinistas in hoc capite doctrinæ oppugnãdos & anathematisandos esse putet, cũ tamẽ isti causam cũ tota Orthodoxa Antiquitate, adeóq; ipsis etiã Põtificijs habeãt cõmunẽ? Quintò, Quoniã pro Augustanæ Confessionis explicatione, & restitutione, vt aiũt, profertur illa recẽs ex Luthero de persona Christi doctrina, an nobis persuadere volet Kẽnitius, Augustanã Cõfessionẽ ab iis, qui eã primò ꝓfessi sunt, & receperũt, ad improbandã hãc Orthodoxæ vetustatis superius de persona & præsentia Christi recitatã & explicatam doctrinã, fuisse cõscriptã, & Ordinib. Imperij exhibitã, & quidẽ intẽtione adeò crudeli & impia, vt qui cũ Orthod. Patrib. hac parte sentire volẽt pro hęreticis & fanaticis habeãtur, atq; ab omni publicæ pacis iure & beneficio sint extorres: ad quem vnicũ tamẽ scopũ, sub hoc falso explicatæ Augustanæ cõfessionis prætextu, omnia Bergẽsiũ Patrũ cõsilia, & tã callidis machinationib. sollicitatæ subscriptiones spectãt. Ad hæc vbi nobis satisfecerit Kẽnitius, nõ erit defuturũ, aduersus improbationẽ ipsius, graue & iustũ patrociniũ Orthodoxis Patribus. Sed iterũ instat Kemnitius, Veteres tamen Patres corporalẽ Christi in Cœna præsentiã fateri & defendere. Ergo ipsorũ dicta aliter oportere, quã sonãt, intelligi.

Kemnitius fol. 512.

III

IIII

V

Hic nota & attende lector.

Scopus concordiæ Bergensis.

Hæc verò cùm ita dicit Kẽnitius, dubitari nõ immeritò potest, an magis ipsi sciẽtia quã cõsciẽtia desit. Nã etsi verum esset, quod de vetustis Patrib⁹ dicit, sicut falsissimũ esse ostẽderũt Orthodoxi cõsensus authores: tamẽ extra specialem hãc solius Cœnæ Dominicæ causã, generaliter cõtrà Vbiquitatẽ, seu pluriũ locorũ corporis Christi, ab vnione personali, præsentiã omnes patres sentire, fateri cogetur, nisi cauillari volet, Kẽnitius: deinde quia nõ cõceditur, ex isto verborum Christi sensu, quẽ tradũt Patres, corporalem in pane prẽsentiã inferri & defendi posse: Cur legitimã super hac veteris Ecclesiæ sentẽtia cognitionẽ & diiudicationẽ, tãtopere, quasi causæ diffidẽtes refugiũt, & sibi solis iudiciũ sumũt Vbiquistæ? Cùm tamẽ si ipsis cùm Põtificiis res esse deberet, hãc cognitionem subterfugere & declinare nulla ratione possent, propterea quòd isti constãter negent, nisi concessa substãtiali transmutatione panis & vini, vllam ex Patrũ dictis realem corporis & sanguinis Christi prẽsentiã posse probari, & sanè concedendũ est, talẽ à patribus præsentiã corporis Christi in Eucharistia statui, qualis est ista de qua ipsi loquũtur, mystica & supernaturalis μεταποίησις panis & vini. Deniq; etsi demus, Patres de corporali præsentia sentire, (q; tamẽ nõ est verũ) quomodo adhuc consentiẽte ipsorũ sentẽtia se magis iuuabũt Vbiquistæ, quàm Pontificiorũ doctrina? cùm sint inter ipsos nõ solũ diuersa, sed & planè cõtraria quæq; sibi mutuò aduersantur doctrinæ principia & fundamẽta, ex quibus certè nõ potest esse certus & vnanimis in idẽ axioma cõsensus, sed cuius sententiæ erronea sunt principia, seu fundamenta, illius etiã sententiã, quiuis aliãs certa ratione verã, falsam & erroneam esse oportet. Quodlibet enim verũ, ex sua vera & propria ratione verum est. Alioquin, sicut eruditè ait Augustinus, *Quisquis vllã rẽ aliter, quàm est, intelligit, fallitur: & omnis qui fallitur, id in quo fallitur, nõ rectè intelligit. Quisquis igitur vllã rẽ aliter intelligit, quàm est, non intelligit.* Et

Hoc attestãtur omnes Pontificij.

Vide Orthod. consensum cap. 5. fol. 69. & 11.

infrà circa Tertium fundamentum.

lib. 10. quæstio. cap. 31.

Etsi autem à Romana, & Pontificia Ecclesia primùm doceri cœperit corporalis, per Transsubstantiationem panis, præsentia carnis & sanguinis Christi in Eucharistia: tamen non adeò ab istis Theologis, quamuis in errore omnium fœdissimo, deliratum est, vt corporalis istius præsentiæ causam ab vnione personali pendere statuerent. Inde enim facilè, vt homines ingeniosi, & in rationibus vtrinque expendendis diligentes, & exercitati, cogitare potuissent, vniuersalem Corporis Christi in omnibus locis & creaturis Vbiquitatem seu Vbiquepræsentiam consecuturam, quam quia iam tum metuebant Scholastici Theologi, ne quis ex malè intellecta personalis duarum naturarum in Christo vnionis ratione, eam asserere vellet, vno ore & consensu omnes reiecerunt & damnauerũt, accuratè respondentes argumentis, quibus nunc hanc in Ecclesiam, inenarrabili cum scandalo, & teterrima inscitia, pro corporalis præsentiæ defensione, malesani inuexerunt Vbiquistæ.

Corporalis præsentiæ commentum ex Papatu primò originẽ habet.

Scholastici lib. 3. sentent. distin. 22. & lib. 1. ca. 31.

Contra quos Thomas Aquinas de modo & ratione, qua corpus Christi in pluribus locis sit, loquens, ita definit: *Corpus Christi neque in quantum corpus, neque in quantum Diuinitati vnitum est, hoc habet, vt in pluribus locis sit, sed hoc habet ratione consecrationis, & transsubstantiationis, in quantum videlicet diuersi panes, qui in ipsum transsubstantiantur, in diuersis sunt locis.* Idem Albertus Magnus: *Christi corpus non est in pluribus locis, ratione vnionis, sed ratione consecrationis, quia videlicet in pluribus locis consecratur.*

lib. 1. dist. 37. qu. 3. ar. 2. Vbi Bonauent.

Sic scilicet cum Pontificiis consentit Selneccerus.

Est quidem celebris istius corporalis præsentiæ in Eucharistia occasione disputatio inter Scholasticos, An vnum idémque, non modò Christi, sed & alterius corpus, simul & semel possit esse in pluribus locis, potestate Dei absoluta? Et quamuis hoc Scotus, & Scotisticæ suæ disci-

Lib. 4. dist. 9.

plinæ ſectatores, Ioãnes Baſſolis, Iohannes Maioris, Marſilius Heidelbergenſis, & alij, magno & exquiſito argumentorum acumine probare contendant, tamen fundamentum huius ſuæ multipræſentiæ vnius corporis, non in hypoſtatica vnione, ſed quaſi à ſola poteſtate Dei abſoluta pendens, in eo tantùm collocandum eſſe cenſent, An videlicet hoc vnum corpus ſimul & ſemel in pluribus locis eſſe, non implicatam in ſe habeat impoſsibilem, & quæ veritati rerum aduerſatur, contradictionem? Hanc enim etiã ab abſoluta Dei poteſtate exceptam eſſe fatentur. Quo fundamento poſito, non magis corpus Chriſti, per hypoſtaticam vnionem, quàm alterius cuiuſquam hominis corpus, poteſtate Dei abſoluta pluribus in locis eſſe poſſet.

Reſpõſio ex Auguſtino ad fundamentũ de perſonali vnione.

Rectè igitur Auguſtinus huic Vbiquiſtarum fundamento reſpondet. Cùm enim Dardanus ab eo quæreret, An Chriſtum corpore ſuo ſimul in ſepulchro, & in paradiſo fuiſſe, credendum ſit, ex eo, quod ad Latronem dixit: Hodie mecũ eris in paradiſo: Huic quæſtioni ſic occurrit Auguſtinus: *Cauendum eſt*, inquit, *ne ita Diuinitatem aſſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem cõſequens, vt quod in Deo eſt*, (hoc eſt hypoſtatica vnione in Deo ſubſiſtit) *ita ſit vbique, vt Deus. Vnus enim idémque in indiuiſa perſona vnitate Chriſtus vbiq; eſt, per hoc, quod Deus eſt: in cælo autem, per id, quod homo eſt.* Apparet autem ex hac reſponſione, quod etſi à Dardano tantùm propoſita eſſet quæſtio, de præſentia corporis ſeu animæ Chriſti in duobus aut pluribus locis, tamen vnà cum Vbiquitate etiam negatam ab Auguſtino fuiſſe plurium locorum præſentiam, propterea quòd neutra ex vnione perſonali humanitatis Chriſti cum Diuinitate conſequens eſſet, hac nimirum ratione, quòd aliâs corporis per hoc veritatem auferre ſit neceſſe. Vt itaque à Darda-

Ratio, quaritur reſpõſio Auguſtini, tam Vbiquitati quàm multipræſentiæ repugnat.

no

no motæ & propositæ quæstioni accommodata sit Augustini responsio, duo hæc præsupponi in ipsa oportet, Primò: A personali seu hypostatica vnione in Christo cõsequens non esse, vt vbicunque est ipsius Diuinitas, ibi etiam necessariò præsens adsit seu existat eius humanitas, ac proinde à totius personæ Christi præsentia non sequitur assumtæ humanitatis ipsius coëxistentia. Secundò: Quòd per plurium locorum præsentiam, ab Vnione personali, sic Diuinitas Christi asseratur, vt per hoc veritas corporis auferatur. Quò etiam pertinet erudita Leonis Romani sententia: *In magno*, ait, *sacrilegio se versari hæreticorum manifestat impietas, cùm sub specie honorandæ in Christo Deitatis, humanæ carnis in ipso denegant veritatem.* Talem autem veritatem carnis Christi, contra Eutychianam proprietatum mutationem, intelligit Leo, qualis per incarnationem factus est Deus Verbum, & qualis est illa, quæ in nobis saluatur. At quia talis esse non potest, quæ per Vnionem in pluribus locis esse fingitur, meritò ad sacrilegam hæreticorum impietatem est releganda.

Veritas corporis plurium locorum præsentia aufertur. Ad Leonem Augustum.

Denique quia Augustinus in Christo hoc, per quod Deus est, discernit, & opponit ei, per quod homo est, sicut etiam eodem modo, Diuinitatis & humanitatis respectu, Vbique esse, & in aliquo cœli loco esse, inter se opponit: manifestum hinc est, quod, cùm Christum vbique esse dicit, per hoc quod Deus est, in cœlo autem, per id quod homo est, absolutè & simpliciter corpus Christi, etiam quatenus est & subsistit in Deo, Vbique esse posse, ab ipso negari. Per quod Bergẽsium Patrum nuper excogitata impostura fallacia detegitur & refutatur, qui hanc Augustini Catholicam & Orthodoxam responsionem hac ratione eludere sunt conati, *Humanã videlicet Christi naturã nõ ad eundem modum, quo Diuinitas ipsius, tanquam infinitam quandam essentiam, ex substantiali virtute & proprietate suæ*

Nota pro rectè intelligẽda sententia Augustini.

ca. 8. Anathem. 2. Thesi Tubing. 59.

naturæ, Vbique præsentem esse.

In Censura Tãgermundensi.

Cęterum, quòd pro erroris sui fuco & excusatione obtendunt, *Vocabulum Vbiquitatis se, vt portentosum, abominari, nec vllam se extensiuam corporis vbiquitatem, seu diffusionem cum Diuinitate docere*, prorsus frigidum est, & tantùm inanis impostura prætextus. Nam ad Vbiquitatis Vocabulum primò quod attinet, illud non à sacramentariis recens & inuidiosè confictum est, vt falsò queruntur Patres Bergenses, sed ab ipsomet etiam Luthero, Bucero, Philippo, Kemnitio & Selneccero, ipsísque adeò Scholasticis & Põtificiis semper eo sensu acceptum, & vsurpatum fuit, quo isti noui Dogmatistæ corpus & humanitatem Christi Vbique esse docent. Deinde quòd ad rem ipsam attinet, si per modum extensionis, seu diffusionis vbique esse diceretur corpus Christi, sicut lux & aër, non esset hac ratione verè & propriè vbique, quia singulæ istius extensi corporis partes essent in singulis suis locis: Totum autem corpus per se non esset vbique, sed, vt Augustinus ait, minus in parte, quàm in toto. Sicut & Thomas Aquinas in hac de Vbiquitate quæstione rectè animaduertit. Illud enim verè & propriè Vbique esse dicitur, cuius non sunt extensæ quantitatis suæ partes, sed quod totum est vbique, & in singulis locis vnum, & totum. Itaque Augustinus contra Faustum Manichæum cõcludit: Si Christus in Sole & Luna, & in Manichæorum escis, vt ipsi putabãt, toto illo phantasmatico suo corpore, quod ei tribuebant, esse dicatur: aut necessariò tũc, si vnum hoc corpus, idémq; Christus esse debeat, oportere per hæc omnia, hoc est, per Solem & Lunam, & in ipsis Manichæorum escis distentum esse Christum: aut si totus in singulis istis esse ponatur, non vnum hoc Christum esse posse, sed plures inde Christos fieri. Ex qua Augustini definitione si de Vbiquistarum sententia iudicium fieri debeat, rectè sic

Ad Dardanum, & Epistola. 3.

lib. sentent. dist. 37. art. 1. Thesi Vbiq. 43.

Vide Orthodox. Consen. fol. 100.

Augustinus cõtra multipræsentiam corporis Christi. lib. 20. cap. 11. & 12.

illis

illis præscribemus : Si corpus Christi per vnionem personalem cum diuinitate est vbique, Aut hoc est per modum extensionis per omnia loca, & omnes creaturas, sicut Thomas Aquinas de infinito illo, quod omnia loca repleret, corpore sentit: Aut si totum vbique totum esse dicatur, plura per hæc necessariò corpora, pluréque Christi introducuntur.

Quæstio Vbiquistarum.

At hîc ex vbiquisticæ Theologiæ suæ principiis quęret Iacobus Andreas: si nullum discrimen est, quo ad hoc, vt pluribus in locis simul esse possit corpus Christi, an diuinitati personaliter vnitum sit, vel non, quid igitur in hypostatica illa vnione præ aliis puris hominibus accepit humanitas Christi? Egregia certè istius Matæologi ex turpi & flagitiosa inscitia nata quæstio. Cùm enim de vnione hypostatica humanæ naturæ Christi quæritur, non præcipuè, quid humana natura in se præ aliis acceperit, sed quid Filius Dei Verbum per incarnationem factum sit, quæritur. Respondeo autem cum tota Orthodoxa antiquitate, Primùm, humanitatem Christi per hypostaticam illam vnionẽ cum verbo, hoc est, assumtionem in eandem cum verbo personalem subsistentiam, illud, quo propriè vnio ista constat, accepisse, vt videlicet non communis & seorsim alicuius per se hominis, sed in ęterna verbi Dei hypostasi, quæ altera in Trinitate persona est, propria ipsius assumta humanitas & caro, atque sic vna cum eo persona sit, propter quam Christus non homo Theophorus, vt malè voluit Nestorius, sed Θεάνθρωπος est, vt rectè Synodus Ephesina docet. Vnde Cyrillus: *Corpus est, non cuiusuis hominis, non Petri, non Pauli, aut caterorum, sed ipsius vitæ, & saluatoris nostri Iesu Christi, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter.* Et Augustinus: *Cæteri homines sancti participes verbi Dei sunt, sed non ipsum verbum Dei.* Item: *Alios homines regit, hunc gerit Deus.* Item

Responsio: Sic Bonauentura, lib. 3. dist. 2. & dist. 13. art. 1.

Quid sit verè personalis vnio.

Lib. 4. cap. 24. in Iohan.

Psal. 26. de Trini. lib. 3. cap. 18. & de Trinita. & Vnita.

Alij sunt Filij gratia, ille autem est Filius natura: In istis est participatio Deitatis, in hoc est plenitudo. Hac sola, propriâ, & specifica personalis & hypostaticę vnionis ratione duę naturæ in vna & communi hypostasi subsistunt & vniuntur, & ad eundem quoque modum vtriusque naturæ proprietates in hac hypostasis vnitate, seu identitate subsistentes, mutua & alternata κοινωνίᾳ seu communicatione per ἀντίδοσιν permutantur. Sic enim Christus verè est, & dicitur incarnatus, seu verbũ secundũ hypostasin factum est caro, quia carnem, & omnia quæ carnis sunt propria, sua facit hoc ipso, quod carnis & verbi vna & eadem sit hypostasis, hoc est, hypostasis Dei verbi per assumtionẽ facta est hypostasis carnis & humanæ naturæ Christi: quod sic eruditè contra Nestorium & Eutychen explicat Vigilius Martyr: *Verbum propter carnem homo est, & caro propter verbum Deus est: & quicquid est propriũ verbi cõmune est cum carne, & quicquid propriũ est carnis cõmune est cũ verbo, quia verbũ & caro vnus est Christus, & vna persona. Hæcq; est verè admirabilis illa vtriusque naturæ inunitate personæ Christi cõmunio, quã, salua, & incõfusa naturarũ proprietate, præstat vnio.*

Caro & omnes proprietates per incarnationem verbi sunt propriæ.

Cyrillus lib. de recta fide.

Idem Fulgentius ad Donatum.

Ab hac propria personalis vnionis ratione, si Deus assumsisset in vnitatẽ hypostasis suæ ardẽtẽ Rubum, quẽ vidit Moses, vel si Filius Dei verbũ assũsisset corporales istas species, quibus veteris Testamẽti patribus speciali præsentia apparuit, vnio hæc dici potuisset hypostatica & personalis, nõ quidẽ ab eo verè & principaliter, quod istę corporales species ab hac personali assũtione & subsistentia sua in se realiter trãsfusũ accepissẽt, sed quod hac Oeconomica vnione, in eadẽ cũ ipso Deo, & non in propriæ suæ naturæ hypostasi, subsistẽtiã suam habuissent, propter quam Deus potuisset dici ardens Rubus, & Filius Dei Nubes, & ardens Colũna, & è contra. Vnde etiã hæc vnio secũdum hypostasin & subsistẽtiã dicitur, quatenꝰ opponitur vnioni

Idem est si Sp. s. assumpsisset speciẽ columbæ.

Vide Cyrillum in Capitulis contra Nestorium.

mi, quæ est secundum assistētiam, quam docuit Nestorius.

Per hãc itaque sic explicatã hypostaticã vnionẽ humanitas Christi istud præ cęteris puris hominib⁹ à quib⁹ hoc modo absolutè differt, accepit, quod sicut in eãdem cum verbo hypostasin, ita quoque in omniũ diuinarũ proprietatũ & actionũ κοινωνίαν seu cõmunionẽ est assumta, saluis tamẽ nihilominus semper, etiã in hac ipsa vnione, suæ naturæ proprietatibus. Hinc Damascenus: *Caro Christi deificata est, nõ secundũ naturæ, & naturaliũ proprietatũ ipsius mutationẽ, sed secundũ vnitionis Oeconomiã, sicut verbũ est incarnatũ.* Itẽ: *Propter carnis ad verbũ hypostaticã vnionẽ, seu identitatẽ, omnia diuina & humana vnius Christi facta participat.* Sicut itaq; caro Christi verè est verbi propria, ita quoque verè est viuifica, quatenus videlicet vnus cũ verbo Deus est, & caro vitę iure dici & intelligi vita potest. quod sic ex Ephesinæ synodi sententia explicat Cyrillus. *Idẽ in eodem Deus & homo, in quo sua quidẽ ducit Deus verbũ ea, quæ carnis sunt propria, quoniã ipsius est, & non alterius ab eo corpus: communes autẽ quoque facit, tãquã cum sua carne, diuinæ maiestatis suæ operationes, vt posset etiam viuificare mortuos, & sanare infirmos.* Item, *Viuificat caro Christi, quoniam per vnionem coniuncta est cum Verbo, quod est naturaliter vita.*

Quid humanitas Christi accepit per vnionem personalẽ.

Hoc negauit Nestorius.

Iib. 3. cap. 15. & 17. & 21.

Vide Ortho. conten. cap. 3.

Lib. 10. in Ioh.

Lib. 4. cap. 4.

De hac diuinarum proprietatum & actionum κοινωνία, quibus humanitas Christi verè & realiter eodem modo, quo diuinitati in vnitate hypostasis communicat, elegãs est illa Fulgẽtij ad Thrasimundũ sententia: *Vnus idémque Deus & homo Christus, qui quod humanum est, habet Deus, in veritate humana: & quod diuinum est, habet homo, in veritate diuina natura & substantia.* Et Cyrillus ad Iohannem Antiochenum pro concordia: *Omnia quæ de Christo dicuntur ait, tam diuina, quàm humana, in persona coniungi, totique personæ tribui, verùm in ipsis naturis vicißim separari, & cuique sua conuenientia assignari oportet.*

Regula de communicatione Idiomatum.

Hinc actiones Theandricæ.

Deinde & ſecundò accepit in hac hypoſtatica vnione humanitas Chriſti, vt ſic in vtraque natura ſubſiſtens Deus & homo, Saluator, Mediator, & redemtor noſter ſit Chriſtus, qui per Oeconomiam aſſumtæ carnis nos ſaluauit, redemit, & recapitulauit, quod per communem hominem, qui tãtùm Filio Dei per aſſiſtentiã autoritatis, & dignitatis æqualitatẽ, Neſtoriana vnione coniunctus ſeu vnitus fuiſſet, præſtari nõ potuiſſet. Hinc igitur habet, vel accepit caro & ſanguis Chriſti, quod nõ hominis alicuius in proprię ſuę naturę perſona, per ſe, ſed æterni Filij Dei caro & ſanguis ſit, quo redemti, & ſaluati ſumus.

Prærogatiua corporis Chriſti ex vnione.

Ex quo infert Cyrillus, quod ſi in communis & ſeorſim per ſe hominis carne, quem Deus verbum ſibi adaptaſſet, atque omnem dignitatem gloriæ, honoris, & filiationis communicaſſet, ſalutis noſtræ diſpenſatio peracta fuiſſet, tunc myſterium noſtrum, in quo eiuſmodi carnis Chriſti commendata mãducatio eſt, fore ἀνθρωποφαγίαν, ſeu hominis cuiuſdam comeſtionem. Cæterum propter hanc Oeconomiam aſſumtæ carnis, & complendam in ea ſalutis noſtræ reparationem, ſicut Chriſtus Filius Dei per aſſumtionem formæ ſerui exinanitus eſſe dicitur in plenitudine proprię naturæ, ſecundum quam verè eſt Deus, & ex muliere natus eſt Filius hominis, qui ab æterno natus eſt Filius Dei ex Patre, pauper factus, cùm eſſet diues: Ita quoque rurſus ei dari, & accipi ab eo dicuntur, tanquam in carne facto & manifeſtato, quæ ab æterno habuit, vt Deus. quod ſic accuratè & diligenter explicat idem Cyrillus: *Plenum ſecũdum naturam, & ex omni parte perfectum Deum verbum, qui ex ſua plenitudine bona creaturis diſtribuit, exinanitum dicimus: nihil in propria tamen natura mutatum, nec vt aliter ſe haberet, commutatum, nec inferius ex vlla parte factum. Quod verò verbum factum eſt caro, humanitatis paupertatem propriam facit: Primum*

In expoſitione Symboli Niceni & in 11. Anathẽ.

Exinanitio Chriſti. Leo in Epiſt. ad Fla. & Aug.

Chriſtus per vnionis Oeconomiam rurſus accepit, quæ iam ante habuit.

De incarnat. Vnige. cap. 4.

Quomodo verbum ſit caro factum.

Primùm, quia semel homo est factus, quamuis remanserit Deus. Deinde quòd servi formam accepit, qui secundum naturam suã liber est, vtpote Filius, & cùm sit gloriæ Dominus, dicitur gloriã accipere. Et alibi: *Vnum est Filius cũ Patre, identitate essentiæ, quamuis in propria subsistentia sit, verùm quoniam propter nostram salutẽ à sua dignitate & claritate quasi exiuit (hoc enim significat, exinaniuit seipsum) ideò accepit rursus cum carne claritatem & gloriam, quam semper habet vt Deus. Quoniam ergo templum, quod à virgine accepit, quamuis consubstantiale Deo Patri non sit, vnitum tamen ita cum verbo est, vt vna persona cum eo sit. (vnus enim Christus & vnus Filius est etiam homo factus.) idcirco vnitatẽ cum Deo accepisse dicitur, quòd tẽplum suum, quod à se Deus non est, vnum cum Deo verbo factum sit: Et vt breuius & clarius dicã, quod templo suo datum est, sibi datum esse vnigenitus ait, datum videlicet à Patre per ipsum in spiritu. Non enim aliã viam habet modus vnitatis cum Deo. Intelligitur enim in Christo vnitate ineffabili caro sanctificata, absque vlla confusione ad vnitatẽ verbi ascendere, & per verbũ ad vnitatẽ Patris, habitudine scilicet quadam, non naturaliter. Hanc igitur, inquit, claritatẽ, & gloriam Patris, quã mihi dedisti, quæ est, vt tecum vnum sim, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos.* Et alibi: *Existẽs in forma & æqualitate Patris Deus verbũ, exinanitus quidẽ dicitur, propter humanitatem: exaltatus verò rursus, non in externã dignitatem, & qua olim caruerit, condescendens, sed rediens ad gloriã & eminentiã sibi implantatam, & in ipso semper existentẽ. Exaltatur enim humanè, seu respectu humanitatis, quãuis secundum naturã sit altissimus. Factus est enim homo, & hæc est, opinor, natura conditio & exinanitio, qua dicitur.* Item: *Glorificatur quidẽ à Patre, non quod gloria indigeat, cùm extra carnẽ Deus ex Deo intelligatur, sed quoniã erat homo, quasi propriæ naturæ fructum non habens, potentiã operandi efficaciter diuinè accipit quodammodo per illam vnionem, & ineffabilem concursum, qui intelligitur Dei verbi esse*

Quomodo Verbũ sit caro factũ Leo in Epist. 1. ad Flaui.

lib. 11. cap. 27. in Iohannem.

Vt Christus est exinanitus p dispensationẽ, Ita ei vicissim omnia dari dicuntur, per dispensationem.

Quid per Vnionẽ acceperit homo Christus.

Sic caro Christi pertinet ad Trinitatem.

De recta fide ad Reginas.

Quomodo Filius Dei dicatur accipere potentiam operandi per vnionem.

De vera fide ad Theodos. & lib. 10. Thesauri cap. 2.

cum humanitate. Et iterum alibi: *Propria quidem sunt omnia verbi, quæ enucnatum est ex Deo, & dominatur omnibus cum Patre. Accipit autem & hæc secundum humanitatem, quando factus est sicut nos.* Item: *Manifestū est, quod ea, quæ insunt naturæ, & propria verbi, ex Deo Patre, seruātur ei iterum, etiā quādo apparuit vt homo. Igitur periculosum est audere diuidere.*

Ex hac Orthodoxa veteris Ecclesiæ doctrina intelligi potest, quomodo Christus ea, quæ ab æterno habuit, quatenus Verbū Patris est, iterū accepisse dicatur, quatenus Verbum caro factū, & in carne manifestatū est. Vt enim hoc modo cœpit esse, quod non erat, ita quoq; dici potest accepisse, quod antea nō habebat. Itaq; si hoc ad humanā Christi naturā referatur, non alia ratione ista omnia data esse dici possunt, homini Christo, quā ipsa verbi Diuinitas ei sit data, hoc est, personali vnione iuncta. Hanc verò sic essentialiter humanæ naturæ dari, non aliud esset, quàm eam in Deum substantiali mutatione trāsire & conuerti.

Tertiò accepit humanitas Christi omnem gratiæ, & donorum plenitudinē, absque mensura, sed tamē hac lege, vt semper maneat illi subiecta, qui eam subiecit. Huc pertinet illa Athanasij ad Epictetū sententia: *Magna*, ait, *contigit humano corpori accessio de Verbi cum eo societate. quippe de mortali factum est immortale, de animali factum est spirituale, de terra ortum super cælestes portas euasit.* Et Iustinus in libro de Trinitate: *Quomodo factum est, vt corpus cum Verbo vnitum fieret immortale, ac incorruptibile? id sic se habet: Corpus quidem manet corpus, quia corpus non est Deus. Factum tamen diuinæ Maiestatis particeps, non naturæ Deitatis.* Istud verò quod ita accepit humanitas Christi, non propriè, & immediatè depēdet ab vnione hypostatica, tū quia, quod humanitati Christi hoc modo communicatur, etiam cōmunicari posset non vnitę, sed in propria sua subsistentia relictæ, sicut hoc concedebat Nestorius, tum etiam, quod

eiusmodi donorum communicatio toti Trinitati communis sit. *Ad creaturam* enim, inquit Augustinus, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnū principium.* Et Scholastici dicunt, *Omnia Christo homini communicata, indiuisa sunt Trinitatis opera.* Ista autem, quæ per communicationem Idiomatum, seu τῶν πρὸς ἀντίδοσιν, de Christo dicūtur, tantùm vera sunt, propter Dei Verbi & hominis in hypostasi & persona identitatem. Et ideo Synodus Ephesina damnauit ab hac authoritatis æqualitate, in communicata donorum plenitudine, per Nestorium introductam illam inseparabilis assistentiæ vnionem. Vnde Cyrillus: *Si vnus communis homo esset Iesus, qui operandi facultatem acceperit à Spiritu sancto, vt posset diuina signa perficere, nullo modo differret à sanctis Apostolis, vel Prophetis, qui per diuinam benignitatem diuinis impleti sunt donis: Christo autem proprius est Spiritus sanctus, quemadmodum Dei Patris est. Operatur enim efficaciter, sicut Pater, per Spiritum. Itaque non quasi aliena virtute per Spiritum operandi facultatem accepisse dicimus Emanuelem, sed propriam habuit consubstantialis Spiritus virtutem, quam vt Deus habuit.* Item: *Nestorium rationem vnionis exponentes dicunt, Donatam esse Christo à Deo æqualitatem dignitatis, siue authoritatis, vt simili appellatione & Christus, & Filius dicatur, & Dominus.* Itaque ab istis, quæ fit in vnione accepit homo Christus, ab aliis puris hominibus differt, 1. personæ excellentia & dignitate, in qua, vt Augustinus ait, *Vtrumque Deus est, sed per assumentem Deum: & vtrumque homo, per assumptum hominem.* 11. Officio. 111. Donorū plenitudine, absque mensura. Secundum priora duo, Christus est Deus homo & homo Deus, secundum posterius autem tantùm dici posset Deiformis homo. De quibus tamen omnibus tenenda est firma & immota hæc sententia, Quòd quæcunque in vnione hypostatica accepit humanitas Christi, ista omnia

Gabriel Biel. lib. 3. dist. 7. qu. 3. in fine. lib. 3. de Trinit.

Cyrill. in Symbolo Niceno, & in Apol. 9. Anathem.

In Apol. Anath. 9.

Hæc non cōpetūt humanæ naturæ, per aliquā realem communicationem deitatis in se.

accepit in assumta forma serui, hoc est, in nostræ veritate & proprietate naturæ: Proinde non accepit, vt personali illa sua in hypostasi Dei Verbi subsistentia facta sit inuisibilis, impalpabilis, incircũscripta, & vbique præsens, seu coexistens cum Verbo. Concludendum itaque, primum illud fundamentum ab vnione personali, qua vnus idémque Deus & homo Christus est, ad stabiliendam inde corporalem carnis Christi in pane præsentiam, prorsus nulla argumenti ratione accommodatum esse. Quoniam enim, vt supra dictum est, per hoc vniuersalis Vbiquepræsentia in omnibus locis & creaturis probari seu inferri non potest, nec etiam magis probari ab hoc poterit specialis illa corporis Christi existentia in pane Dominicæ Cœnæ.

Quin potius ex hoc ipso primo Lutheri fundamento, si rectè intelligatur & explicetur, illud ad euertendam corporalem in pane præsentiam, absque vlla contradictione, inferri potest: Nempe: Christus iuxta articulum fidei nostræ est essentialis, naturalis, verus & perfectus Deus & homo, in vnitate personæ.

Argumentũ ab incarnatione & vnione personali, contra corporalẽ in pane præsentiam.

Non potest autem verus, naturalis, & perfectus Deus & homo esse, nisi secundum naturalem assumptæ humanitatis essendi modum, hoc est, in nostræ veritate & proprietate naturæ, quatenus est visibilis, palpabilis, & circũscriptus homo, de quo sic Orthodoxa antiquitas. Ignatius: *Verum corpus Mariæ peperit, quod esset Diuinæ naturæ domicilium, tale vtique, quod omnia, quæ propria sunt humani corporis, mobiscum haberet communia.* Eusta-

Epist. 12.

Ergo talis est modus essendi per vnionem.

thius Antiochenus apud Theodoretum: *Deus Verbum homo factus omnibus alijs hominibus membra gestat numero æqualia, atque simili vnicuique forma & specie indutus est.* Gelasius Romanus contra Nestorium, & Eutychen: *Verum corpus Christi in eo est, quod verum est, hoc est, in sua proprie-*

Verbũ quomodo caro factum.

tate

tate ſubſtantia. Vigilius Martyr: *Vnde verus Deus & homo eſt Chriſtus, niſi in veritate & proprietate vtriuſque naturæ?*

Ergo cùm hæc de corporali iſta in pane præſentia affirmari, & vera eſſe non poſſint, fatendum eſt, hanc corporalem ab omnibus humanæ naturæ proprietatibus abſtractam in pane præſentiam, cum articulo fidei, de Chriſto naturali, vero & perfecto Deo & homine: iuxta Chalcedonenſis concilii definitionẽ, in vtriuſque naturæ incõfuſo proprietatum diſcrimine, pugnare. Quoniã enim vt ſupra dictum eſt, Deus verbũ, per aſſumtas in vnitatem perſonæ veri corporis & humanæ naturæ proprietates, incarnatus, & noſtri generis homo factus eſt, ex his cõſequitur, & concedi eſt neceſſe, vbicunque iſtæ naturales & eſſentiales proprietates corporis, non ſunt cum diuinitate Chriſti perſonali ſubſiſtentia vnitæ & præſentes, hoc eſt, per quas Filius Dei non eſt viſibilis & palpabilis homo, ibi etiam ipſum corpus, quatenus cum hiſce proprietatibus eſt aſſumtum, non adeſſe. Eodẽ enim modo, quo ipſæ naturæ, ita etiam differentes ipſarum proprietates, in vnitate perſonę ſubſiſtunt, & in Deitate & humanitate vnum Chriſtum efficiunt.

Confirmatur hoc argumentum vniuerſali totius Orthodoxæ vetuſtatis conſenſu, quæ non aliam corporis Chriſti in Euchariſtia veritatem, nec aliam ipſius communicationem in myſterio agnouit, quàm ſicut per aſſumtionem ipſius Filius Dei eſt incarnatus, & nobiſcum ὁμοούσιος homo factus. Vnde ſic Hilarius lib. 9. de Trinita. *Si verè carnem corporis noſtri aſſumſit Chriſtus, & verè homo ille eſt qui ex Maria natus eſt: nos verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, ac per hoc vnum erimus.* Et Chryſoſtomus *Volui frater veſter eſſe, ideo carnem & ſanguinem propter vos aſſumſi, vobis viciſſim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter ſum, trado.* Item: *Non aliỳ nutriendos tradit*

Vide Orthodo. conſenſ. fol. 115.

Homil. 61. ad populum & Homil. 83. in Matt.

Christus, quos ipse regenuit, sed proprio corpore non alit, & sibi coniungit, atque conglutinat. Quare tibi persuadeas, carnem illum tuam assumsisse. Quod certè non de alia, quàm in nostræ naturæ proprietate assumta & nobiscum homousia carne intelligi potest. sic enim verè sub mysterio carnem corporis Christi sumimus, eáque regeneratos nutrit, sibíque cõiungit, & conglutinat Christus, sicut ipse verè carnem corporis nostri assumsit, & verè homo factus est.

Quemadmodũ ergo absque naturalibus veri corporis proprietatibus, quibus excepto tantùm peccato, per omnia similis factus est fratribus, Christus nõ est verè per assũtionẽ corporis nostri incarnatus: ita quoque sine istis proprietatibus nulla est veritas assumti corporis in Eucharistia. Alioquin enim, si non eadem, sed diuersa carnis Christi veritatis ratio est, secundũ quam per incarnationem est assumta, & quatenus verè sub mysterio communicatur, non valet ista Hilarii & Chrysostomi illatio:

Nos verè sub mysterio carnẽ corporis Christi sumere, ac per hoc vnum cum ipso esse, Quia is verè carnem corporis nostri assumserit, & verè homo factus sit.

Nam quia talis assumpti corporis veritas non est extra essẽtiales ipsius proprietates, nec aliter Christ⁹ quã visibilis & palpabilis homo verè fact⁹ est: Ergo, si hinc cõsequẽs esse debet, nos etiãverè sub mysterio hãc assumti corporis carnẽ sumere: necesse est, eandẽ in hac carne, iuxta essentiales ipsius proprietates, veritatẽ agnoscere & profiteri. Et hoc est, q, idẽ Hilarius ait, *De veritate carnis & sãguinis Christi nõ est ambigẽdi locus relictus. nunc enim & Domini professione, & fide nostra, verè caro est & verè sanguis, & hæc hausta & sũta, faciũt, vt Christus in nobis sit, & nos in Christo.* Hęc igitur est ista per incarnationẽ assumta carnis Christi veritas, p cuius cõmunicationẽ sub mysterio, Christũ iuxta naturalẽ veritatẽ & vnitatẽ in nobis esse dicit Hilarius, vt ab hac naturali veritate & vnitate carnis Christi cum

Vide Orthodox. consens. fol. 104.

noſtra,eiúſq; nobiſcum vera κοινωνία, etiam naturalem inter patrẽ & filium, & nõ voluntatis & conſenſus tantũ vnitatẽ contrà Arrium probet:Sicut eodẽ modo Chryſoſtomus veritatẽ noſtræ carnis aſſumtæ, à communicatione ipſius ſub myſterio,cõtra Manichęi & Marcionis phãtaſma aſſerere & probare voluit. Non eſt igitur alia corporis Chriſti in cõmunione Euchariſtię veritas, quã ſicut ꝑ aſſumptionẽ ipſius, Chriſtus in eſſẽtialibus humanę naturę proprietatib⁹ verè homo factus,verus,perfectus,naturalis,& nobiſcũ homouſios homo eſt:ꝙ de corporali vbique præſentia,per vnionẽ,nemo ſine extrema impudẽtia audebit affirmare. Tale enim illud pſeudo Chriſti corpus eſt,de quo tãtopere cõtẽditur,ꝙ, vt Scholaſtici definiũt, *Nullã habet in ſe vel diſtãtiã vel differẽtiã partiũ, velut inter hunc vel illũ oculũ,inter oculum & aurẽ,aut caput & pedẽ,ſed oculus;auris,brachiũ,manus,caput & pes,omnia ſimul ſunt,& ſingula aliud,& vniuerſa vnũ*. Iſta ſcilicet eſt naturalis corporis Chriſti veritas & vnitas cum noſtra,quã in incarnationis & Euchariſtiæ myſterio cõtra hęreticos ꝓfitemur.

Hic reſpondeant Patres Bergenſes.

Thomas.3.part. quæſt.76.art.3.

Cęterũ non eſt omittendũ hoc loco,breuiter admonere,quòd etſi patres Bergẽſes ex hoc primo Lutheri fundamẽto,& quibus hoc cõfirmare conatus eſt argumẽtis multa colligãt, cũ Orthodoxa totius Eccleſiæ fide pugnãtia, vt, quod naturas in Chriſto ſeparati, & vnitatẽ perſonæ ſolui ꝓfractè cõtẽdunt,niſi Chriſtus nõ ſolùm ſecũdum diuinã, verumetiam ſecũdum humanã naturã ſit vbique & in omnibus locis.Itẽ:Quod maieſtatẽ hominis Chriſti non æternã ipſius deitatẽ,quam in veritate perſonę propriam habet,ſed realem diuinarum proprietatum,hoc eſt plenitudinis omnis deitatis cõmunicationẽ eſſe dicunt, ſecundum quam operatus ſit miracula, ſit omnipotens, incircumſcriptus,& vbique, etiam ſecundum humanam naturam,vnde diſcrimen inter Concretũ & Abſtractum,

Cap.8.de perſona Chriſti.

Maieſtas Chriſti ſecundum Vbiquiſtas.

Aliter Cyrillus.

Iacob. Andre. contra Heidelberg. fol. 30.

inter hominem Christum, & humanitatem Christi tollunt, atque hæc omnia ex vnione personali, quę aliàs consistere non posset, necessariò consequentia esse, ideóque Christo etiam in vtero matris competiisse dicũt. Tamen Coryphæus ipsorum Kemnitius sic longè aliter, & quidem manifestè pro labefactando hoc primo fundamento scribit: *Quod si in scriptura nullum expressum verbum, aut specialem promissionem de præsentia Christi, etiam secundum humanam naturam, in Ecclesia in his terris adhuc militante, haberemus: Aut si scriptura traderet, Christum tantùm diuina sua natura Ecclesiæ suæ in terris hîc adesse: Ego sanè pro mea simplicitate nec auderem, nec vellem, ex nudis argumentationibus, de prærogatiuis hypostaticæ vnionis, aliquid aliud vel extruere, vel recipere. Est enim inter metas diuinæ patefactionis constituendũ. Iam verò habemus expressum verbum, & specialem promissionem, peculiari ac certa institutione, & quidem testamentaria ordinatione à Filio Dei sancitam, quod in actione cœnæ hîc in terris velit corpore & sanguine suo adesse.*

In recognit. libri de duabus naturis in Christo, fol. 480.

Hîc Kemnitius reprehẽdit Lutherum & socios suos.

Ergo Christ⁹ specialiter promisit pani præsentiam corporis sui.

Quid hîc audio? Si à speciali promissione, & non à nudis argumentationibus, ex hypostaticæ vnionis prærogatiua collectis, pendet, quod Christus secundum corpus & humanitatẽ suam hîc in terra Ecclesiæ suæ, & præcipuè in sacra cœna verè & essentialiter se sistere, & præsẽs adesse dicitur, quorsum tunc illa vtriusque naturæ simul, ab vnitate personæ, vbique locorum essendi necessitas? qua alioquin hãc vnionẽ solui, & naturas ab inuicẽ discerpi oporteret, nisi omnia intus & extra plena essent Christi, etiã secũdũ humanitatem? Quorsum item tertius ille ex Luthero essendi modus, quo nullis locorum spaciis tenetur, nec vllis humanæ naturæ proprietatibus obnoxium est corpus Christi? cuius certè nulla specialis promissio est, nec aliunde quàm ex nudis supra dictis Lutheri argumentationibus probari posset. Et quid igitur ad

Varietas & inconstantia doctrinæ.

hoc

hoc Brentius & Iacobus Andreas? qui inter Magicos Papistas recensendos esse volunt eos, qui corporalis præsentiæ Christi causam in verbis & institutione Cœnæ ponendam esse statuunt. Quin etiam palàm edictũt, nisi per communicatam ab vnione Maiestatem, & modum sessionis ad dexteram, vnà cum diuinitate sua vbique præsens sit corpus & humanitas Christi, se ne momento quidem amplius pro corporali præsentia ex verbis Cœnæ esse pugnaturos. Quid item fiet Andreæ Musculo? qui in suis de incarnatione thesibus sic scribit: *Itaque propter hanc admirabilem conceptionem & natiuitatem, & duarum naturarum vnionem in vnam personam non potest dari locus, in quo sit Filius Dei secundum Diuinam naturam, in quo non sit Filius hominis secundum humanã naturam, & ante & post ascensionem & sessionem ad dexteram Patris.* Denique quomodo consentit ista Kemnitij sentẽtia cum suo Bergensis concordiæ libro? in quo sub octauo capite, De persona Christi, ab vnione personali, & quæ inde consequitur cõmunicatione, quam diuina & humana natura in Christi persona realiter inter se habeãt, pendere dicitur, quod solus homo Christus verè dicere possit: Ego sum vobiscũ vsque ad cõsummationem seculi. Hoc autem quia de tota persona, ad quã necessaria est vtraque natura, dictũ sit, etiã secundum vtramque naturam intelligi oportere: alioquin tantùm dimidiũ adesse Christum, nec vllum discrimẽ fore inter hominem Christum, & Petrum, propter inhabitãtem in vtroque Diuinitatem. Cúmque hæc ita ex personali vnione necessariò se habeant, hinc in certissimum huius rei testimoniũ & confirmationem, sacram Cœnam à Christo fuisse institutam. Hæc liber Bergẽsis: quæ certè nihil aliud sunt, quàm nudæ, ex personalis vnionis prærogatiua, collectæ argumẽtationes, in quarum testimonium & cõfirmationem si instituta est Dominica Cœna (quod perinde est, ac si quis diceret,

Hic Iacobus Andreas dãnat censuram Kemnitij.

Andreas Musculus vnus ex autoribus libri Bergensis.

Ergo etiam in morte & cruce.

Vide supra ex libro Bergensi.

Idem sentiunt Hamburgenses in sua censura ad Vvestphalũ.

Nota Lector hanc impostur.

Dominicam Cœnam institutam esse in confirmationem vbiquitatis, ex vnione personali) falsum est omnino, & constare nulla ratione potest illud Kemnitij: Corporalẽ Christi in Cœna præsentiam ex speciali promissione verborum institutionis pendere. Nam si veræ sunt, & rectè collectæ argumentationes istæ (vt sanè nõ sunt) necessariò eas veras esse oporteret, propter articulum de incarnatione, & vnitate personæ Christi, etiam absque vlla speciali verborum Cœnæ promissione, sicut hoc Brentius, Iacobus Andreas, Lucas Osiander & tota cũ ipsis Vbiquistarũ schola docet.

Vbiquitas. lib. de vnio. personali.

Necessarium est, inquit Brentius, *vt vbi est Deitas, ibi etiam sit humanitas Christi.*

Quis igitur, his probè & accurata consideratione expensis, non animaduertit, Kemnitium, dum causam corporalis præsentię in personalis vnionis prerogatiua collocare non audet, sed ad specialem promissionem verborum Christi (de qua infra circa Tertium fundamentum dicetur) confugit, primum istud Lutheri fundamẽtum de vnitate personæ Dei & hominis Christi, & quæ in libro Bergensi ea de re traduntur, imprimis autem illud, quod ex indiuisa personæ Christi vnitate aut corpus ipsius vnà cum diuinitate in omnibus locis & creaturis vbique, aut fidem nostrã falsam esse oporteat, prorsus destruere & euertere?

Αυτόψια libri Bergensis, quod simul probat, & improbat Kemnicius.

Tam scilicet benè concordes inter se sunt, & in doctrinæ suæ fundamentis consentiunt istius adeò infaustæ Bergensis Concordiæ autores. Quid autem quæso cogitandum est istis, qui horum Patrum placitis subscribẽtes, non solùm ad teterrimos errores se obligarunt, sed & totam Orthodoxam antiquitatem, sub Zuingliani & Sacramentarij erroris prætextu, crudelissimis condemnationibus suis, quibus iste Bergensis liber scatet, magna cum temeritate & impietate anathematisarunt? cùm tamen Pontificij & Iesuitæ eorum, qui per calumniam &

Ad Subscriptores libri Bergensis.

inu-

inuidiam Zuingliani & Caluiniſtæ vocantur, ſententiam hac parte probent, vt Catholicam. Sic enim Theologi Ingolſtadienſes contra Iacobum Andreã diſertè & ingenuè ſcribunt: *Quid nobis ſuccenſet adhuc Smidelinus, quòd etiam alicubi cum Zuinglianis conſentiamus? quaſi verò nihil norint aut habeant ex doctrina Chriſtiana. At habent ſanè, cur Vbiquitatem, & plura Smidelini figmenta magna vi refutent, & arguant, habent quod in Brentiana ſchola deſiderent, & detestentur.* Item: *Oppugnant Zuingliani, & verè quidem oppugnãt vbiquitatem Smidelinam corporis Chriſti, faciunt vtique, quod Catholicos facere oportebat: nec grauatim illis cõſentimus, vbi rectè docent.*

Zuingliani à Pontificiis excuſati, & Vbiquitas ab iis reprehenſa.

Hîc igitur reſpondeant Patres Bergenſes, qua fide, quo pudore, & qua cõſcientia, Zuinglianorum & Sacramentariorum præcipuè doctrinam hanc de perſona Chriſti, contra vbiquitatem, & realem idiomatum in naturis communicationem, eſſe dicant, quam tamen cum tota Eccleſia catholica conſtat eos habere conſentientem & communem. Hoc priuſquam dextrè expediant, non ægrè ferant, ſe propter haſce falſas accuſationes, quibus aduerſarios ſuos iniquiſſimè prægrauatos cõtumelioſè traducunt, pro Calumniatoribus & Impoſtoribus meritò haberi & reputari.

Cap. 1.

Notate Patres Bergenſes.

Poſtremò antequam hanc de primo fundamento Lutheri diſputationem cõcludam, illud pro indubitata ſacræ ſcripturæ, & totius Orthodoxæ Eccleſiæ fide, & doctrina, contra Bergenſium Patrum nouationes, & corruptelas firmiſſimè tenendũ eſt: quòd cùm ex iſto fundamẽto, quo Deus & homo vna ſint in Chriſto perſona, cõſequens ſit, vt ſupra explicatũ eſt, quod ꝓpter hypoſtaſis in hac vnitate identitatẽ omnes humanę naturæ proprietates de Filio Dei, & viciſſim omnes diuinæ naturæ proprietates de Filio hominis, per ἀντίδοσιν, ſeu mutuã Idiomatũ cõmunicatio-

nem dicantur, nihil prorsus ex hac vnitate personæ Dei & hominis colligi & inferri posse, quod cum veris humanæ naturę proprietatibus pugnet, aut iis sit contrarium. Alioquin sicut propter ea, quę cum veris humanæ naturę proprietatibus pugnant (vt si ponatur esse inuisibilis, impalpabilis, & absque organici corporis forma, & quantitate incircumscripta) sublata est illa idiomatum humanæ naturæ communicatio, à quibus Filius Dei non posset dici visibilis, palpabilis, & circumscriptus homo: ita quoque sublata esset hypostatica duarum differentium naturarum vnio, & in Eutychianam confusionem conuersio facta.

Fol. 481. 494. & 508.

Proinde nòn est Orthodoxę fidei doctrina, quod Kemnitius, pro defendendo sociorum suorum errore, concedit quidem, vnionem factam esse, salua differentia & naturarum, & proprietatum: sed tamen etiam fingit, in hac vnione communicatas esse humanæ naturæ Christi prærogatiuas, non solùm quæ super naturam, sed etiam quæ contra naturam omnium corporum sunt, ita vt possit absque certa, finita, & circumscripta membrorum dimensione, pluribus aut omnibus in locis vbique præsens adesse. *Humanitas enim Christi*, ait, *non secundum se, hoc est, secundum essentiales seu physicas suas proprietates, sed quatenus verbo personaliter est vnita, adest Ecclesiæ, & habitat in cordibus nostris in Verbo, & cum Verbo, cum quo hypostatica vnione copulata est.* Hinc enim infertur, Quoniam humanitas Christi, secundum essentiales naturæ suæ proprietates, opponitur ei, quatenus Verbo personaliter est vnita, quòd aut essentiales istæ proprietates sunt extra vnionem considerandæ, aut quòd personalis & hypostatica vnio alia ratione propriè & principaliter constet, quàm vtriusq; naturæ, earumque essentialium proprietatum in vnã verbi hypostasin concursum & cõpositionem, quorum

Ergo Christus est aliquid personaliter, absq; essentialibus humanæ naturæ proprietatibus.

quorum vtrumque falsum & in Oecumenicis Synodis est condemnatum. Non enim aliter hypostaticè vnita est Christi humanitas verbo, quàm sicut per hanc vnionem facta est ipsius verbi propria, secundum omnes essentiales suas proprietates, Hoc est, vt Cyrillus ait, *cùm idem sit Deus & homo, propter hanc vnitatem personæ propria sua facit humana.*

Eadem humanitas Christi saluas retinet suas proprietates, in vnione, & simul etiam non retinet saluas.

Est autem hæc manifesta, quæ ex ista Kemnitij doctrina existit, contradictio, quod videlicet in vna eadémque Christi humana natura & quidē in ipsa vnione, saluas esse dicit essentiales ipsius proprietates, propter quas verum & naturale corpus est, & tamen simul quoque per hypostaticæ illius vnionis prærogatiuam nō esse saluas, sed corpus & humanitatē Christi, eo ipso, quia Verbo personaliter est vnita, in contrarias suæ naturæ proprietatibus, nec finitam, nec vlla membrorum dimēsione circumscriptam existere, adeóque sine essentialibus proprietatibus veritatem ipsius constare posse, quod recens & impium commētum cum vera hypostaticæ vnionis ratione & assumtæ humanæ naturæ veritate pugnare, & consistere nullo modo posse, ex sequentibus rationibus patebit.

Si propter essentiales proprietates Christus est verus homo: Ergo sine iis nō est verus homo.

Primò enim quia Christus propter assumtas in vnitatem personæ essentiales humanæ naturæ proprietates, verus & incarnatus homo est, Cōtradictio est affirmare, eundem Christum sine essentialibus veri corporis proprietatibus verum & incarnatum hominem esse posse. Essentiales enim proprietates dicuntur, quibus positis, ponitur essentia rei, & extra quas, seu sine quibus, essentia cuiusque rei cōsistere nō potest. Sicut autē incarnatio sine istis proprietatibus non fuisset vera, sed phantasmatica: ita nunc humanitatem Christi, non secundum essentiales suæ naturæ proprietates, sed quatenus personaliter vnita est Verbo, alicubi existentem facere, est incarnationem ipsius in

Vbicūque Christus ita est, non est vt incarnatus.

phantasiam conuertere.

A necessitate definitionis, qua sublata, impossibile est rem definitam manere.

Secundò: Tale Christi corpus, cuius existentia non habet essentiales suæ naturæ proprietates, non retinet, sed amittit definitionem veri corporis. Ergo, aut quatenus ab eo auferetur definitio, & nostri corporis ὁμουσία, etiam rem definitam ab eo auferri, atque sic verum & nostri generis corpus esse desinere, aut contradictoria, quod nostræ naturæ corpus sit, & non sit, affirmare est necesse.

Synodicū principium de corporis Christi veritate.

Tertiò. In asserenda corporis Christi veritate contra Eutychianos, tota Orthodoxa vetustas vsa est hoc synodico principio: Sublata proprietate essentiali, etiã ipsam naturam perire est necesse. At à corpore & humana natura Christi, quatenus per hypostaticæ vnionis prærogatiuam, contra naturam, absque certa & finita membrorum suorū συμμετρίᾳ & dimensione, vbique, seu pluribus in locis præsens adesse fingitur, remouētur & auferuntur naturales & essentiales ipsius proprietates, à quibus veritas eius contra Eutychianos synodica definitione probatur. Ergo etiam per eiusmodi corporalem præsentiam naturam ipsius perimi est necesse: sicut per cōtrarium, si Diuinitas esset corpus, nec magnitudinem, nec loci circumscriptionem effugere posset, vt Cyrillus ait. Et huc pertinet Augustini ad Consentium sentētia, qui respondens quæstioni, An etiam nunc corpus Christi sit in cœlo, secūdum naturæ suæ proprietates: Fatetur quidem, ex Diuina potentia quasdā qualitates, quæ sunt corruptionis & infirmitatis, à corpore auferri posse. At visibilem & contrectabilem formam corporis, ciúsque lineamenta ab eo auferri posse, & tamen simul verum corpus esse, negat. Hinc quoties de humanitate Christi cogitamus, nō aliter quàm de humana effigie secundum organici corporis formam, ex fide cogitandum esse vult. Proinde quod Cicero cōtra Epicureos, qui Deos in hominum specie esse, nec tamen hanc speciem corpus,

Epistol. 146.

Lib. 1. de natura Deorum.

sed

ſed quaſi corpus eſſe, nec ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem habere dicebant, ſcribit, hoc etiam Vbiquiſtis reſponderi poteſt, cùm ait: *Hoc perſæpe facitis, vt cùm aliquid non veriſimile dicatis & effugere reprehenſionem velitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidē poſſit: vt ſatius fuerit idipſum, de quo ambigebatur, concedere, quàm tam impudēter reſiſtere.* Corpus incorporeum.

Quartò: Sicut quicquid à nobis in hypoſtatica vnione per Chriſtum non eſt aſſumtum, nō eſt quoque, vt Nazianzenus ait, in nobis redemtum & recapitulatū: Sic nihil eorum, quæ à nobis aſſumta ſunt nunquàm mutauit, aut depoſuit Chriſtus, quæ non etiā mutaturus ſit in nobis, cùm reformabit corpus humilitatis noſtræ vt faciat conforme corpori claritatis ſuæ. Quemadmodum enim per omnia nobis ſimilis factus eſt, excepto peccato, ita viciſſim nos ſibi conformes faciet. Hinc Theodoretus Dialogo ſecundo: Si Chriſti corpus eſt in aliā naturam (ſublatis videlicet ipſius proprietatibus) mutatum, & noſtra ſimiliter mutabuntur. Erunt enim illi conformia. At eſſentiales proprietates non eſt in nobis mutaturus, ſicut hoc prolixè contra Iohannem Hieroſolymitanū oſtendit Hieronymus. Ergo etiam per nullum exiſtendi modum Chriſtus mutauit aut depoſuit eſſentiales veri corporis ſui proprietates.

Quintò. Vera perſonalis vnionis ratio contra Eutychianos & Acephalos conſtare & defendi non poteſt, niſi ab vtriuſque naturæ diuerſis & contrariis proprietatibus duæ & perpetuò differentes naturæ probentur. Alioquin, vt Theodoretus ait, *ſublato proprietatum in perſona Chriſti diſcrimine, nec de Deo, vt Deo, nec de Homine, vt homine, cogitare rectè & ſentire poſſumus.* At per talem corporis & humanæ naturæ Chriſti contra naturales ipſius proprietates exiſtentiam, dici non poſſet, duas in Chriſto naturas per duas & diuerſas proprietates ab hypoſtatica vnione pro- Dial. 1. & 2.

bari: Ergo per talem præsentiam seu existentiam duæ in Christo naturæ non sunt hypostaticè vnitæ.

*Cur in vnione duæ naturæ, & vna persona.

Sexto. Sicut contra Eutychianos & Acephalos personalis vnio ideo duarum naturarum est, quia diuersæ & contrariæ proprietates, quales perpetuò in Christo sunt, nō possunt vni naturæ cōpositæ, propter cōtradictionem in eodem subiecto, competere: Sic contra Nestorium hæc vnio ideo est & dicitur hypostatica, quia nisi vtriusque naturæ vna esset hypostasis, quæ vtramque personali sua subsistentia sustentaret, duarum naturarum differentes proprietates non possunt verè & realiter de vno supposito dici, sed de alterius naturæ supposito dicerentur humana, & de alterius naturæ supposito dicerentur diuina. Sic enim Nestorius Euangelicas de Christo voces per duos diuidebat Filios. Nunc autem quoniam vtrumque naturæ vnum est suppositum, seu vna hypostasis, diuersarum naturarum respectu etiam diuersas in se, & contrarias proprietates, secundum aliud & aliud, suscipere potest.

Damasc. cap. vltimo in Dialec. & lib. 4. cap. 5.

Anathem. 4.

At si humanitas Christi in vnione non solùm saluas suas retinere ponatur essentiales proprietates, sed & simul contrarias suæ naturæ proprietates suscipere atque sic simul & semel visibilis & inuisibilis, palpabilis & impalpabilis, esse dicatur, Primùm hic vnionis modus, quoniam per hunc humanitas Christi in contrariis suæ naturæ proprietatibus est inuisibilis, impalpabilis, & incircumscripta, non est duarum differentium naturarum, quia sic humanitatis & Diuinitatis non sunt duæ & differentes proprietates, sed Christus secundum vtramque naturam per vnionem est inuisibilis, impalpabilis, & incircumscriptus: ex quo apud Theodoretum Eranistes pro Eutychianis vnam in Christo naturam esse colligebat. Deinde hæc etiam non conueniunt vnioni hypostaticæ, ideo quòd differentes istæ proprietates, per eundem vnionis modum, non de

Duplex vnius naturæ secundū diuersas proprietates præsentiæ modus.

vnita-

vnitate hypostasis, secundum aliud,& aliud, sed de eadem humana Christi natura, pro alio & alio præsentiæ modo, dicuntur. Ergo, quod humanitatẽ Christi per hypostaticam vnionem suas essentiales proprietates saluas retinere, & tamen simul in contrariis suæ naturæ proprietatibus existere docet Kemnitius, cum vera & Orthodoxa de hac hypostatica vnione Oecumenicarum synodorum definitione pugnat. Nã quod in Synodo Chalcedonensi dicitur Christũ in vnitate personæ verè Deũ,& verè hominẽ esse, perfectũ in deitate & perfectũ humanitate,& vtrasq; naturas vnitas esse indiuisè,& inseparabiliter,incõfusè & immutabiliter, hoc de homine ideò sic dicitur,quia omnia habet Christus,quæ humana sunt,absq; peccato. inde enim verè homo ,& perfectus in humanitate agnoscitur, sicut eodẽ modo verè deus,& perfectus in Diuinitate,ab iis quæ diuinæ naturæ propria sunt,diiudicatur. Indiuisè autẽ & inseparabiliter ideòvnitæ dicũtur naturæ,quia in vna, cõmuni, & indiuisa hypostasi inseparabili vnione coniunctæ subsistunt,& vnum Dei & hominis ὑφιστάμενον efficiunt:incõfusè & immutabiliter verò vnitæ dicũtur ideo,quia nulla facta est cõfusio naturarũ, neque euacuata aut sublata ipsarũ differentia, per vnionem, sed salua semper absque mutatione mansit vtriusque naturæ vnita proprietas. Ab hoc enim saluo & immutabili proprietatum discrimine, etiam naturæ manent inconfusæ, nõ euacuata ipsarum differentia. Alias,quemadmodum si sua cuiusque naturæ, & proprietatum ipsius seorsim propria subsistentia esset,vnio nõ esset indiuisa, sed separabilis per duas hypostases, vt voluit Nestorius: Sic eodem modo vbicunque nõ saluæ sunt & manent vtriusque naturæ distinctæ & differentes proprietates, sed sublata ipsarum differentia, Christus secundum vtramque naturam docetur inuisibilis, impalpabilis, incircumscriptus, omnipotẽs,& vbique, confusionem in

Vera Chalcedonẽsis Synodi sententia & explicatio.

Vnio indiuisa.

Vnio incõfusa.

naturis,& mutationem in proprietatibus sequi & existere oportet: Quia non est verum dicere, vtriusque naturæ differentes proprietates in vnam personam & subsistentiam concurrere, seu eandem Christi personam in duarum naturarum differentibus proprietatibus subsistere. cáque Eutychis fuit hæresis. Et sic Chalcedonensis Synodi sententiã intellexit & explicauit Agatho Romanus. *Quòd si*, inquit, *in nullo differẽtia naturarũ Domini nostri Iesu Christi sublata est, necesse est, vt in omnibus proprietatibus eandem differentiam conseruemus. Qui enim in nullo adimendam differentiam docet, in omnibus hanc seruari debere commonuit.*

In Concil. Constant. 6. Actio. 4.

Hęc nõ possunt competere Vbique præsentiæ corporis Christi sine essentialibꝰ proprietatibus.

Item: *Omnia duplicia vnius eiusdémque Saluatoris Christi asserimus, secundum Euangelicam traditionem, id est, duas eius naturas prædicamus, diuinam scilicet & humanam, ex quibus & in quibus etiam post admirabilem atque inseparabilem vnionem subsistit, & vnamquamque eius naturam proprietatẽ naturalem habere confitemur, & habere diuinam omnia quæ diuina sunt, & humanam omnia, quæ humana sunt, absque vllo peccato. Hæc est Apostolica & Euangelica traditio.*

Lib. 4. cap. 5. Modus & ratio vnionis hypostaticæ.

Et Damascenus ait, *Hypostasis Dei verbi, quæ ante incarnationem erat simplex & incomposita, per incarnationem facta est etiam carnis hypostasis, & composita facta est ex Deitate quam semper habuit, & ex ea quam assumsit, carne, & fert seu sustinet duarum naturarum proprietates, in duabus cognita naturis. Ipsa igitur vna hypostasis increata & inuisibilis est, Deitate: Creata & visibilis, humanitate. Alioquin,* (*hoc est, nisi ista diuersæ naturarum proprietates in vna sint & existant hypostasi*) *aut compellemur Christũ diuidere, duas dicẽtes seu faciẽtes hypostases, aut* (*si nõ sint in hac hypostasi duæ vtriusque naturæ differentes proprietates*) *naturarum differentiam negare, & versionem seu confusionem inducere.*

Quid sit Nestoriana Christi diuisio.

Quid sit Christũ verè hominem esse.

Sũt itaq; ex Orthodoxa hac & Synodica definitione hęc cõsequẽtia, & quasi à se inuicẽ depẽdẽtia: Nẽpe, Christũ verè hominẽ esse, quia videl. omnia habeat, quę verè humana

sunt: & hoc ideo, quia vnio facta est sine cõfusione & mutatione: & hoc iterum ideo, quia non est sublata naturarum differentia per vnionem: & hoc rursum ideo quia salua semper & vbique inconfusa manet earum proprietas. Esset autem confusio, si per diuersas vtriusque naturæ proprietates differentia ipsarum non posset cognosci, sicut cognosceretur, si quælibet natura extra vnionem in propria sua hypostasi subsisteret. & hoc est quod Synodus Cõstantinopol. sexta inquit, *Natura cognosci nullo modo potest, nisi à substantiali eam designante proprietate.* Et hoc modo confusionem naturarum, quę per hypostaticæ vnionis, Synodicam explicationem, non minus quàm personæ distractio exclusa & damnata est, rectè intellexerũt Patres. Ambrosius confusionem tũc introduci ait, vbi in Christo quod Diuinum & humanum est, per diuersas naturæ proprietates non discernitur. Theodoretus ex vnione confusionem fieri dicit, quoties sine respectu differentiæ naturarum, non consideratur, quid conueniat diuinitati, & quid accommodatum sit corpori, quod certè faciunt illi, qui Christum secundum vtramque naturam omnipotentem & vbique præsentem profitentur. Fulgentius, sicut in vno Christo propria naturarum personam non diuidere, sic quoque personæ vnitatem vtriusque naturæ propria non confundere dicit, quod etiam sentit Damascenus.

Quid sit confusio naturarum. Lib. de Incarnat. cap. 4. Vide supra. Lib. de incarnat.

Anatolius, propter exclusam in vnitate personæ Christi naturarum confusionem, omnia in ipso duplicia esse ait, duas videlicet naturas, & duas differentes proprietates. Diuinam enim naturã omnia habere quæ diuina sunt, & humanam omnia quæ humana sunt absque peccato. Non itaque hoc tantùm est confusionẽ naturarũ facere, quoties vnius, hoc est diuinæ naturæ proprietas, vt inuisibilẽ, incircũscriptũ, & vbiq; esse, efficeretur alterius & humanę naturæ proprietas, vt insidiosè sentit liber Bergẽsis, qui etsi hęc

Quid sit confusio naturarum. Cap. 1.

humanæ Christi naturæ tribuat, per Maiestatē tamē vnionis tātùm cōpetere, & non proprietates ipsius effectas esse dicit. Sed etiā tunc confusionē fieri docent Patres, cū natura non retinet suas essentiales proprietates, neque in iis substantialiter existit. Ex hac enim confusione, sicut & per diuisionē, ineffabilis mysterij resolutionē sequi necesse est.

Sic infra Gelasius.

Error Kemnitij.

Proinde apparet Kemnitiū nō rectè sentire, qui licet proprietates essentiales in vnione saluas esse fatetur, tamē existentiam humanitatis Christi, in saluis suis proprietatibus, opponit ei, quatenus verbo personaliter est vnita. Hoc autem nihil est aliud, quàm in vno aliquo tātùm loco humanitatem Christi in suis essentialibus proprietatibus existentē dicere: at quatenus verbo personaliter est vnita, non secundū, sed extrà seu contra hasce essentiales proprietates Vbiquepræsentem facere. Vnde sequitur, modum existendi, quem habet humanitas Christi, eo ipso, quod verbo personaliter vnita est, nō esse in essentialibus suis proprietatibus: quod est falsum. Non enim solùm in vnione, sed & per vnionem, hoc est, eo ipso, quo humanitas Christi vnum cū verbo ὑφιστάμενον est, naturales & essentiales suas proprietates saluas & inconfusas retinet, propterea quòd istæ proprietates per naturam, & natura in istis proprietatibus eodē vnionis modo, inseparabiliter sint in vnā verbi hypostasin assumtæ. Et hinc valet in hac vnitate personæ Christi argumentum, à proprietate ad naturam, & econtra, à natura ad ipsius proprietates.

Quomodo saluæ maneant naturarum proprietates.

Septimò. Per vnionem personalem seu hypostaticam Filius Dei est incarnatus, & nostri generis homo factus. Non est autem aliter talis homo factus, quàm in assumtis humanæ naturæ proprietatibus. Sic enim verbum caro factum est, quia secundum hypostasin sibi vniuit humanam naturam, & quæ eius sunt propria. Et hoc modo omnes nos, vt rectè dicunt Patres,

induit

induit, & assumpsit. Sicut ergo per hoc, quod humanitas Christi in contrarijs suæ naturæ proprietatibus inuisibilis, impalpabilis & incircunscripta existit, Filius Dei nõ est incarnatus, neque hoc modo nos induit & assumsit: sic etiam ex personali & hypostatica vnione non sequitur, nec inferri potest modus & existẽtia humanæ naturæ Christi, quæ naturalibus eius & assumptis in vnionẽ proprietatibus est contraria.

Hoc modo nobis fit incarnatio inutilis.

Octauo, Per saluas in vnione personali vtriusque naturæ proprietates, Christus secundùm diuinas proprietates est ὁμοούσιος & vnitus Patri, & Spiritui Sancto: secundum humanæ verò naturæ proprietates vnitus & ὁμοούσιος est suæ matri & nobis. At per istum existendi modum in contrarijs humanæ naturæ proprietatibus Christus non est ὁμοούσιος, & vnitus Patri, nec etiam nobis. Ergo iste modus pugnat cum salua proprietatum in vnione differentia.

Damascenus lib. 3. cap. 7.

Nonò, Per incarnationem, qua Deus ex virgine natus humanam naturam assumsit, vnus idémque Christus ex duobus (vt ait Nazianzenus) inuicem contrarijs, carne & deitate, existit, propter differentes videlicet & contrarias vtriusque naturæ proprietates, quæ non minus, quàm ipsæ naturæ in vna hypostasi & subsistentia vnitæ, faciunt vnum Christum ex contrarijs existere. At per istum existentiæ modum, quo humana natura Christi contra essentiales suas proprietates est inuisibilis, impalpabilis, & incircunscripta, Christus non subsistit ex duabus contrariarum proprietatum naturis. Ergo secundùm hunc existendi modum non est verus & incarnatus Christus. Hinc Gelasius de vtriusque naturæ essentialibus proprietatibus ait: *Si aliquid vel Diuinitatis vel humanitatis inde decesserit, necesse est, vt ineffabilis mysterij sequatur resolutio. Videbitur enim in Deitatem humanitatis transfusa conditio, vbi eius desierit esse proprietas.* Quoniam enim magnum est illud pietatis

Citat Leo & Vigilius.

Nota. Non tantum naturæ sed & essentiales earum proprietates in vna hypostasi per vnionem sunt conjunctæ.

Idem sentit Theodoretus & Cyrillus.

1. ad Timoth. 3. mysterium, quòd Deus manifestatus est in carne, consequitur, per istum existendi modum, quo non est Deus in carne manifestatus, hoc magnum pietatis in incarnatione mysterium resolui.

Causa communicationis idiomatũ per vnionem personalẽ Dant lib. 3. c. 3. & 4.

Decimò, Ex vnione personali descendit mutua illa & alternata idiomatum communicatio, quæ contra Nestorium recepta, tantùm vera est, propter hypostasis in vtraque natura identitatem. Proinde sicut humana de Filio Dei, sic etiam diuina de Filio hominis, eadem loquendi & intelligendi ratione, dicuntur. At per existentiam humanitatis Christi in contrarijs suę naturæ proprietatibus, cessat & sublata est mutua illa Idiomatum in vnitate naturę, per ἀντίδοσιν communicatio. Quia cùm per talem existẽtiam Christus secundũ vtramque naturam sit inuisibilis, impalpabilis, & incircumscriptus: neque Filius Dei visibilis homo, neque homo inuisibilis Deus dici posset. Ergo iste humanitatis Christi sine essentialibus proprietatibus existendi modus est extra duarum naturarum in hypostasis identitate vnionem, quasi Tertium quiddam realiter ab vtraq; natura, & earum proprietatibus distinctum.

Tertium per accidens vocat Iacob. Andreas.

Vndecimò. Si humana Christi natura, prẽter suas essentiales proprietates, quib⁹ verè incarnatus est Christus, etiã simul in vnione hypostatica habet istum ab omni essentiali proprietate abstractum existẽdi in pluribus locis modũ, tunc necessariò duos pluréſve Christos inde fateri oportebit. Sicut enim alia est humanæ naturæ subsistẽtia, quatenus in essentialibus suis proprietatibus est assumta, & alia, secundum quam extra hasce proprietates subsistit, vt non assumta, sed per Maiestatẽ (vt dicũt Vbiquistæ) exaltata: Ita quoq; nõ vnũ & eundẽ, sed aliũ atq; aliũ hinc Christũ fieri, & doceri est necesse. Nam per essentialiũ humanę naturæ proprietatũ in Verbo subsistentiã, de Christo, per cõmunicationem Idiomatum, rectè dici potest: Hic est Filius Dei,

Gelasius. Dicũt homines inepti, Sicut voluit, sic humanam sublimauit, magnificauitque naturam.

Dei, visibilis, & palpabilis homo, seu Deus, qui in carne manifestatus est. De alia verò, per hypostaticę vnionis prærogatiuam ab istis proprietatibus abstracta existētia, idem similiter dici nō potest. Ergo nō idē est quoque Christus.

Duodecimò, Talem corporis Christi veritatem in Eucharistię communione agnoscunt, & credi debere volunt Orthodoxi in Ecclesia Patres, qualis ab hac Eucharistiæ communicatione contra Eutychianos probatur. At hæc veritas est secundum essentiales assumti corporis proprietates, quas illi adimebant Eutychiani, cōtra quos sic scribit Gelasius: *Aliter Christus verus homo esse non potest, nisi in naturæ suæ proprietate substātialiter verus subsistēs.* Item: *Manet ergo naturaliter in suæ proprietate substantiæ, quia verus Christus aliter esse non potest.* Ergo veritas corporis Christi in Eucharistia, non est absque essentialibus ipsius proprietatibus inuisibilis plurium locorum existendi modus. Alioquin hoc ab Eucharistia sumto argumēto error Eutychianorum magis confirmatur, quàm refutatur.

Vide Orthodox. consens. cap. 5.

Verus homo Christus nō est, extra essentiales humanæ naturæ proprietates.

Postremò, Vbi in scriptura legit Kemnitius, humanitatē Christi, quatenus personaliter vnita est Verbo, habitare in cordibus fideliū, sine tamē essentialib⁹ suis proprietatibus? Paulus quidē ait, Christū habitare in cordibus fideliū, per fidē. Hoc autē Naziāzenus & Patres, nō de humana Christi natura, quā perpetuò in se visibilē & finitā esse & manere dicūt, sed de Diuina, & inuisibili natura, per idiomatū communicationem intelligendū esse dicunt, sicut homo Christus de cœlo dicitur descendisse.

Eph. 3.

Ad Cletod. Theodo. Dial. 1. Idem Bonauen. lib. 3. dist. 13. art. 2. qu. 1.

Hanc spiritualem inhabitationis præsentiam esse diuinæ, infinitæ, & omnipotētis naturæ in Christo, secundum quam vnum est cum Patre, testantur hæc dicta: *Ego & Pater meus veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Item: *Manete in me, & ego in vobis.* Item: *Ego in eis, & tu in me.* Item: *In illo die cognoscetis, quod ego sum in Patre, &*

Ioan. 15.

Ioan. 14.

1. Epist. Ioan. *vos in me, & ego in vobis.* Item: *Ex eo scimus, quod Christus in nobis est, & nos in ipso, ex Spiritu suo, quem dedit nobis.* Item: *An nō cognoscitis vos ipsos, quia Christus in vobis est?* Item: *An*

2. Corint. 1. *experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* Hinc

Duplex præsentia Christi. duplicem Christi præsentiam, secundum duplicem ipsius naturam, faciunt Patres, aliam corporalem, & aliam spiritualem: de quo sic Augustinus:

Tract. 77. in Ioan. *Illa itaque mansio alia est, quam promisit futurā: hæc verò alia, quam præsentem esse testatur. Illa spiritualis est, atque intrinsecus mentibus redditur, hæc corporalis, forinsecus oculis atque auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tẽpore visitat liberandos: Secundum illam Dominus à suis dilectoribus non recedit, secundum*

Tract. 94. in Ioan. *hanc it & redit.* Item: *Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus sanctus, sed & Pater & Filius (quia Trinitas Deus vnus) affuit spiritualiter. Nam si ab eis abscessit Christus, vt pro illo, & nō cum illo in eis esset Spiritus sanctus, vbi est eius promissio, dicentis: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi? &, Veniemus ad eum ego & Pater, & mansionem*

Tract. 106. in Ioan. *apud eum faciemus.* Item: *Christus iuit ad dexteram Patris, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos, præsentia corporali, secundum fidei regulam, sanámque doctrinam. Nam præsentia spirituali cũ eis erat, vtique vẽturus post ascensionem suã, & cum tota Ecclesia sua in hoc mundo, vsque ad consummationem seculi. Quos enim reliquit absentia corporali, seruaturus*

Lib. 2. ad Thrasimundum. *est cum Patre, præsentia spirituali.* Et Fulgẽtius: *Cùm ergo caro Christi localis absq; dubitatione monstraretur, Diuinitas tamen eius Vbique semper esse, Paulo testãte, cognoscitur, qui fidelibus dicit: An experimentũ quæritis eius, qui in me loquitur, Christi? Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit, vel quomodo corporaliter in cælũ ascendit, & in fidelibus suis esse prædicatur in terra, si nõ est in illo Diuinitatis immensitas, quæ cælũ*

Hæc non possunt intelligi de inuisibili præsentia humanitatis. *implere possit & terrã? Nam Corinthijs Paulus dicit: An non cognoscitis vos ipsos, qa Iesus Christus in vobis est? Et ad Ephesios*

ait,

ait, In interiore homine habitare Christum per fidem, in cordibus nostris. Est itaque Filius in cœlo, & habitat in nobis in terra, scilicet, illa sua immensitatis præsentia, qua in nobis Pater Spiritúsque sanctus habitat. Et post: *Hæc vtique Patris & Filij, & Spiritus sancti in nobis habitatio non est localis, sed immensa, non comprehensibilis cogitationi, sed venerabilis fidei. Inhabitat enim Trinitas in suis fidelibus, sicut tota in singulis, sic tota in cunctis, quæ nec cœli terraque spacio distenditur, nec vniuersæ creaturæ termino terminatur, nec per separata loca particulariter separatur.* Hæc sic Orthodoxa vetustas, quam cur non potius sequeremur, quàm vanissima Bergensium Patrum commenta? quę neque in sano scripturę sensu, neque in tota antiquitate vllum habent veritatis testimonium. Quòd si etiam supra adducta scripturæ loca de præsentia humanæ naturæ Christi in nobis, secundùm carnem & ossa, quatenus verbo personaliter vnita est, intelligi debēt, vt vult Kemnitius: eā aut propter eandem vnionis causam nō tantùm in cordibus fidelium, sed etiam impiorum, imò etiam in omnibus locis & creaturis, per hanc præsentiam adesse, aut quatenus ita cum verbo præsens non est, neque etiam verbo personaliter vnitam esse, concedi oportebit.

Sed insurgit, & clamitat aduersus hæc Iacobus Andreas, Si ita de persona Christi, eiúsque duplici secundum duas ipsius naturas, præsentia sentire debeamus cum vetustis patribus, necessariò nos etiā simul Caluinistas fieri oportere. At quoniam perpetuo & immutabili Bergensis concordiæ decreto & præiudicio constitutum sit, nullum cum Caluinistis nec posse, nec debere esse consensum: ergo etiam vnà cum ijs relinquendos & deserendos esse Patres. Egregia sanè, & admodū laudabilis ad introducendum vt & propagandum aliquod quintum Euangelium, constituta cōcordia. Non ita quidē proteruè sen-

sit Lutherus, qui ad Principem Prussiæ scribens, disertè fatetur, non tanti se facere condemnatoria Cæsaris Edicta, vt propterea à Dei verbo, & recta Ecclesiæ ac Orthodoxæ vetustatis interpretatione vel tantillũ discedat.

DE SECVNDO FVNDAMENTO.

HVius secundi fundamenti, quod à Dexteræ Dei Vbiquepræsentia sumtum est, rationem hac forma ex Luthero contra Heidelbergenses recenset Iacobus Andreas.

Ab Vbiquepræsentia Dexteræ Dei ad Vbiquitatem humanæ naturæ per modũ sessionis ad dexteram.

Dextera Dei est vbique. Ergo est etiam in pane Eucharistiæ.

At Christus secundum humanitatem sedet ad Dexteram Dei:

Ergo secundum modum sessionis ad Dexteram præsens est humanitate sua in pane Eucharistiæ.

Huius argumenti fallacissima sophistica quoniam iam olim ab Oecolampadio, Zuinglio, & Bullingero, ac nuper etiam à Christiano Hessiandro in libro contra Omnipræsentiam carnis, omnium verò doctissimè & luculentissimè refutata sit à præstantissimo Theologo Hieronymo Zancho, admiranda est Aduersariorum stupiditas, qui nec dum verentur, ea solius Lutheri autoritate, pro corporalis in pane præsentiæ fundamento, impudentissimè abuti. Sicut autem ex superiore illo primo, ita etiam ex altero hoc fundamento, non tam specialis aliqua corporis Christi in pane Eucharistiæ præsentia, quàm planè vniuersalis Vbiquitas in omnibus locis & creaturis probatur, & infertur: aut si hæc inde probari non possit, nec etiam specialis istius in pane præsentiæ vllum in ea fundamentum poni potest. Neque enim ab hac Dexteræ Dei Vbiquepræsentia magis in pane Eucharistiæ,

Lib. de natura Dei fol. 141.

christiæ, quàm in quauis alia creatura, ad Dexteram Dei sedet corpus & humanitas Christi. Hinc Vbiquistæ, sicut ascensionem in Cœlum inuisibilem corporis disparitionem: ita quoque sessionem ad Dexteram dicunt esse illocalem omnipræsentiam carnis in omnibus locis & creaturis. Sic enim Andreas ille Musculus, vnus scilicet ex Patribus Bergensibus, in articulis suis, quos Ecclesiis & Scholis in Marchia iuramento recipiendos & confirmandos, ex potestate plus quàm Pontificia obtrusit:

Vbiquistarum sessio ad Dexteram Dei.

Andreas Musculus in articulis inquisitoriis.

Ascēdere Filium hominis nihil aliud est, & significat, quàm disparere, & Filij hominis in cœlum ascensio nihil est, quàm inuisibilis disparentia.

Idem sentit Seneccerus.

Item: *Filius hominis ascendit in cœlum, non loci mutatione, secundum essentiam, seu personam, sed modo præsentiæ visibilis in inuisibilem mutato euanescentia, seu disparentia quadam.*

Corruptela, & depraua-tio Articulorum fidei.

Item: *Cœlum in quod ascendit Filius Dei, non est cœlum stellatum, sed gloria Dei, nullis locorum spacijs circumscripta.*

Ergo & talis erit nostra ascensio.

Item: *Sicut Filius Dei ante incarnationem fuit in æquali cum Patre potentia & omnipræsentia Maiestate, & implenit omnia: ita nunc fatendum est, humanæ naturæ in vnitatem personæ suæ assumtæ, & in Maiestate cœlesti collocatæ, Christum Deum & hominem in vna persona omnia implere, esse omnipotentem & omnipræsentem.*

Hoc intelligit secundum vtrãque naturam.

Hanc etiam libri Bergensis esse sententiam, colligi inde non obscurè potest, quòd in eo docetur, Christum ab vtero matris secundum carnem assumtam sedisse ad Dexteram virtutis. Aut itaque propter eiusmodi verè sectariam, & ab omni Orthodoxa vetustate reprobatam doctrinam, æterna potius blasphemia, quàm subscriptione dignus est iste funestus liber: Aut si aliter, & hoc modo non sentit, cur tunc in vindicanda

Corruptela libri Bergensis de sessione ad dexteram.

ab istis portentosis erroribus veritate, non damnat, nec anathematisat eos in autore suo, qui in compilando libro Bergensi ipsorum σύνεργος fuit? Et adhuc persuaderi quispiam sanæ mentis sibi patietur, fuisse ab istis Patribus quæsitam in veritate concordiam? Quid autem ad hæc Heshusius? qui in subscribendo libro Bergensi, etiam à semetipso dissentire, eóque nomine clarus & notus esse voluit. Sic autem is aduersatur Musculo. *Libenter*, inquit, *accipimus Christum physica locatione visibiliter sursum corpus suum sustulisse, & in cœlesti aliquo loco collocasse.* Item: *Necesse enim est fateri, corpus Christi in cœlo certo spacio concludi.* Quod si sursum & in aliquo cœlesti loco per ascẽsionem collocatum est Christi corpus, nõ potest dici alibi quàm sursum & in cœlo ad dexteram Patris sedere.

In lib. de cœna.

Etsi autem verũ sit, quod dextera Dei, quatenus maiestate, & potentia definitur, sit vbique, absolutè loquẽdo: Tamẽ quando respectus habetur ad sessionẽ Christi, qua gloriosa sua in cœlum ascẽsione collocatus est ad dexteram Patris, dextera Dei tantùm est in cœlo. Non enim alibi ad dexteram Dei in æterna gloria & beatitudine, summa cum Patre potentia, sedet in carne nostra Christus, quàm quò per ascensionem assumtus abiit & recessit & vnde sic rediturus expectatur, hoc est, sursum & in cœlo, sicut hoc scriptura longè aliter, quàm Vbiquistica illa recens nata Theologia docet. *Assumtus est*, ait, *in cælum, considit à dextris Dei.* Item: *Qui ad dexteram Dei profectus est in cœlum.* Item: *Christus est sursum, in dextra Dei sedens.* Item *Quem excitauit à mortuis & collocauit ad dexteram suam in cœlum.* Item, *Christus ingressus est non in manufacta sancta, sed in ipsum cœlum, vt appareat in conspectu Dei pro nobis.* Et Stephanus *intentis in cœlum oculis, videt gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei.* Sicut eodem modo, quamuis Deus sit vbique per Diuinitatis essentiam, non est tamen vbique

Aliter dextera Dei absolutè, aliter relatiuè, quo ad sessionẽ Christi ad ipsam in cœlo considerat.

Matt. 16. 1. Pet. 3.

Coloss. 3. Ephe. 2.

Hebr. 9.

Act. 7.

vbique, sed in cœlo, per habitationis suæ gratiam, tanquam in æternæ beatitudinis suæ domicilio, seu templo, & tabernaculo, beatorum hominum & Angelorum respectu, à quibus ibi voluntas ipsius perfecta obedientia agnoscitur, & impletur. Itaque propter hanc cœlestem habitationem eius non oramus, vt ait Augustinus, Pater noster, qui es vbique, licet id verum sit: sed, Pater noster, qui es in cœlis: Quia scriptum est: *Cœlum mihi sedes.* Item: *Dominus in cœlo parauit sedem suam.* Ab hoc igitur Dexteræ Dei, ad sessionem humanitatis Christi in cœlo respectu, non valet Argumentum:

Hebr. 8.

ad Dardanum.

Esa. 66. Psal. 102.

Dextera Dei est vbique. Ergo humanitas Christi vbique & in omnibus creaturis est, & sedet ad Dexteram Patris.

Multò verò minùs hinc sequitur, *Ergo Corpus & humanitas Christi, per modum sessionis ad dexteram, realiter præsens est, & existit in pane Dominicæ cœnæ.*

Est enim hæc humanitatis Christi ad dexteram Patris sessio harum præcipuè trium circumstantiarum relatione ex scriptura definita:

Primò. Quod non nisi postquam à mortuis excitatus, atque glorificatus esset, per ascensionem in cœlum ad Dexterã Patris collocatus fuit Christus: sic enim articuli fidei Apostolicæ ordine suo docent: *Resurrexit à mortuis, Ascendit in cœlos, Sedet ad dexteram Patris.* Cùm enim hæc sessio ad dexteram sit gloria, & beatitudo hominis Christi ad quam eleuatus est super omnes Angelos, & creaturas, non potest ad dexteram Patris sedisse reuera dici, antequam esset glorificatus. Oportuit autem ipsum prius pati & sic intrare in gloriam suam. Sic enim Paulus: *Iesus proposito sibi gaudio sustinuit crucem & contemta ignominia, sedet in dextera sedis Dei.* Item: *Quem excitauit à mortuis, & collocauit ad dexteram suam in cœlum.* Et in

1 A tẽpore, quo Christus ad dexteram Patris sedet.

Ioann. 7. Luc. 24. Ad Hebræ. 12.

Dextera sedis Dei.

Psal.109. Apocalypsi de Filio Dei scriptum est, *Ego vici, & consedi cum Patre meo in throno eius.* quod rectè explicat Augustinus: *Ergo*, inquit, *vt ad dexteram sederet Christus, mortuus est. De morte enim resurrectio, De resurrectione ascensio, De ascensione ad dexteram sessio. Hoc totum ergo cœpit à morte, excellentia claritatis huius principium habet humilitatis.* Alioquin si ante resurrectionem, & in cœlum ascensionem, (de qua scriptura ait, *Recessit ab iis, & ferebatur in cœlum.* Item: *Sublatus est in altum, & nubes subduxit eum ab oculis ipsorum*) Christus humanitate sua ab vtero matris se disset ad dexteram Patris, sicut hoc monstrosissimè omnium docet Iacobus Andreas, necessariò sequetur, aut Christum, cùm mortuus penderet in cruce, ad dexteram Patris sedere desiisse, aut in eadem carne & humanitate sua simul mortuum fuisse, & ad dexteram Patris in gloria sedisse.

Hoc fatetur Iacobus Andreas in Protocollo Heidelberg. fol. 95.

Cùm itaque Christus quando cœnam dominicam instituit, & toti Ecclesiæ in memoriam mortis suæ celebrandam commendauit, donec rursum veniat, nondum esset glorificatus, nec ad dexteram Patris collocatus: an non manifesta, & articulis fidei repugnans insania est, Christum propter dexteræ Dei vbiquepræsentiã, etiam tunc cum corpore suo præsentem fuisse, & sedisse ad dexteram Patris in pane? Hoc autem si verum non est, vt certè est omnium falsissimum, & absurdissimum, & tamen non alia causa, vel ratio præsentiæ corporis Christi nunc sit, aut esse possit in hac nostra Dominicæ cœnæ imitatione, quàm fuerit in prima institutione, cuiusmodi quæso fundamentum est illud corporalis in pane præsentię, quod à dexterę Dei vbiquepręsenria, & humanitatis Christi ad dexteram sessione, euidentissimo erroris & deceptionis testimonio, extrema cum impudentia denuò tanta cum autori-

1. Corinth. 11.

Portentosa articulorum fidei peruersio

autoritate inculcatur?

Inuertenda est autem sic huius fundamenti ratio: Si corporalis præsentię fundamentum est Sessio humanitatis ad Dexteram Patris, quę est vbique: At Christus in institutione Cœnæ suæ, ante resurrectionem, & in cœlum ascensionem, non sedit ad Dexteram Patris in pane Eucharistiæ: Inuersio argumenti, à sessione ad dexteram.

Ergo, etiam prima Cœnę institutio destituta fuit hoc corporalis in pane præsentiæ fundamento. Tantum autem abest, Orthodoxos in Ecclesia patres, istum corporalis præsentiæ modum à sessione Christi ad dexteram confirmare solitos fuisse, vt prorsus contraria sententia seriò hortati sint communicare volentes, cor sursum habere, neque Christum in pane, sed ad dexteram patris in cœlo quęrendum esse. Sic enim Augustinus in quodam sermone ad Baptisatos: *Tenetis sacramentum ordine suo: primò post orationes admonemini sursum cor habere: hoc docentur membra Christi: Si enim membra Christi facti estis, caput vestrum vbi est? membra habent caput. Si caput non præcessisset, membra non sequerentur. Quò iuit caput vestrum? Quid credidistis in Symbolo? Tertia die resurrexit à mortuis, Ascendit in Cœlum, Sedet ad dexteram Patris. Ergo in cœlo est caput vestrum. ideo cum dicitur: SVRSVM CORDA, respondetis: Habemus ad Dominum:* Et post: *Sic ergo accipite, vt vos cogitetis: vnitatem in corde habeatis, sursum cor semper figatis. Spes vestra non sit in terra, sed in cœlo; Fides vestra firma sit in Dominum, acceptabilis Domino, quia quod modò hîc non videtis, & creditis, visuri estis illic, vbi sine fine gaudebitis.* Et Ambrosius: *Hîc Christus offertur in imagine, illic verò in cœlo, in veritate, vbi seipsum offert quasi sacerdos, & apud Patrem pro nobis interuenit, quasi aduocatus. Ascende ergo homo in cœlum, & videbis illa, quorum*

In concio. ad Baptis. 2. pasch. die. in Orthod. Conf. 126.

Verus catholicæ fidei sensus.

Lib. 4. cap. 4. in offic. & Psal. 38.

Homilia 24. in 1. epist ad Corint.

hic vmbra erat & imago. Et Chrysostomus: *Quotquot huius corporis participes efficimur, & quotquot sanguinem degustamus, cogitare debemus, quod illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, incorruptibilibus vicinus virtutibus, hunc degustemus. Quæ sursum sũt, inquit Paulus, sapite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.* Et rursus: *Ascende igitur ad cæli portas, imo cæli cælorum, & tunc, quæ dicimus intueberis.* Hinc quæ veteris & Orthodoxæ Ecclesiæ de mysteriis, & Christi ad dexteram sessione fides fuerit, in qua communicare solebant fideles, non difficulter potest intelligi, à qua toto cœlo distat illa recens inuenta & introducta à sessione ad dexteram Vbiquepræsentia corporis Christi in pane.

Quibus addendum, quod verba Cœnæ, quibus panis dicitur esse corpus Christi, non de corpore, quatenus ad Dexteram Patris sedet, sed de corpore in mortem tradito loquuntur, vnde etiam modus, & ratio præsentiæ corporis Christi in cœna, non à modo sessionis ad Dexteram, sed quatenus in visibili sua forma in mortem traditum fuit, est sumenda & æstimanda. Inde enim spiritualis cibi & potus rationem habet, dicente Christo: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mũdi vita.* Et hinc est, quod Patres dicunt: *Si caro Christi non esset crucifixa, non ipsam manducaremus.* Et quod Chrysostomus *Mysterium Dominicæ Cœnæ passionem & crucem esse* dicit, *quia in eo occisus proponatur Christus. Nam si mortuus non est,* ait, *Iesus, cuius signum & symbolum est hoc sacrificium?* Et Cyprianus in Mysteriorum actione & sumtione dicit *nos cruci hærere, & ex vulneribus Christi sanguinem sugere.* Ambrosius & Augustinus hanc mysterij rationem explicantes, dicunt: *Christus manducatur & offertur vt humilis, vt pauper, & quasi recipiens passionem.* Basilius in sua Liturgia dicit: *Christum ascendisse in cœlum, & sedere ad Dexteram Maiestatis, in excelsis:*

Iohan. 6.

Spiritualis cibi & potus ratio in corpore Christi à traditione in mortem.

Homil. 83. in Matth.

celsis: Reliquisse autem nobis ὑπομνήματα salutiferæ passionis suæ, quæ proponũtur ἀντίτυπα corporis & sanguinis sui. Quem secutus Paschasius ait: *Quia secundum carnem cœlos oportuit penetrare, vt per fidem illuc in illo renati confidentius appeterent, reliquit nobis hoc sacramentum, visibilem figuram, & characterem carnis & sanguinis, vt per hoc mens nostra, & caro nostra, ad inuisibilia capessenda, per fidem vberius nutriantur.*

Lib. de corpore & sanguine domini, qui citatur in iure Canonico.

Secundò. Sessio Christi ad dexteram ex supra adductis scripturę locis definita est cœlo. Ibi enim est, vt Ignatius & Ambrosius scribunt, Thronus & sedes paternæ dexteræ, vbi Deus Pater filio suo tradidit dexteram, vt regnet & iudicet. Sicut enim per ascensionem non aliò profectus abiit, & recessit, quàm in cœlum, nec etiam aliunde, quàm è cœlo, rediturus expectatur (Angelis hoc ita testantibus: *Hic Iesus qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum eum vidistis eũtem in cœlum.* Et Paulo: *Nostra conuersatio est in cœlis, ex quo saluatorẽ expectamus Dominum Iesum*) Ita quoque non alibi, quàm in cœlo, & non in pane Eucharistię, sedet ad dexteram Patris. Quoniam enim Rex & Sacerdos noster hac sua ad dexteram Patris sessione factus est Christus, non magis in pane Eucharistiæ ad dexteram Patris sedere, quàm ibi Regnum, & Sacerdotium suum exercere dici rectè potest. Et sic Epistola ad Hebręos de Christo ad dexteram Patris in cœlo sedente, & ibi Sacerdotium suum pro nobis exequente, loquitur, *Talem*, inquit, *habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram throni maiestatis in cœlis, Sanctorum administrator, & tabernaculi veri quod Deus fixit, & non homo. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos, cùm essent, qui secundum legem offerant munera*, &c. Hinc constat, Apostolum per sessionem Christi ad dexteram in cœlo negare corporalem ipsius præsentiam in terra, ac ideo manifestè

11 A loco vbi Christus per ascensionem collocatus est ad dexteram.

Cœlum est sedes dexteræ Dei

Act. 1.

Ephes. 5.

Per sessionẽ ad dexteram Christus est exaltatus in Regno & Sacerdotio.

Cap. 8.

Sessio ad dexteram in cœlo opponitur præsentiæ in terra. Ergo sessio ad dexteram non est in terra.

falsum esse conuincitur, quod Patres Bergenses dicunt Christum, secundùm quod Sacerdos noster est, etiam humanitate carnis suę, Ecclesię hîc in terris præsentē adesse.

Eáque est totius Orthodoxæ vetustatis de ascensione Christi in cœlum, & ibi ad dexteram Patris sessione, Catholica fides & sententia. Origenes: *Pontifex noster non vtique in terra quærendus est, sed in cœlo, & per ipsum hostia offerenda est Deo.* Cyrillus. *Etsi corpore absens sit Christus, Patri pro nobis apparens, & ad dexteram ipsius sedens, habitat tamen in sanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos esse. In cœlos ascendens Spiritum immisit. Non enim carne conuersari cum Apostolis poterat, cùm ad Patrem ascēderit.* Ambrosius: *Si cōsurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est ad dexterā Patris sedens, & quia magis hoc animorum quàm oculorū est, addidit Paulus: Quæ sursum sunt sapite, & nō quæ sunt super terrā. Ergo non super terrā, nec in terra, nec secundū carnē quærendus est Christus, si volumus eum inuenire.* Impostores sunt itaque qui Christū per sessionē ad dexteram in pane Eucharistiæ quærēdū esse docent, de quibus sic Augustinus. *His dictis, mox ascēdit in Cœlum, præmunire voluit aures nostras aduersus eos, quos procedētibus tēporibus exsurrecturos esse prædixerat, & dicturos, Ecce hîc est Christus, Ecce illic, quibus ne crederemus admonuit: nec vlla nobis excusatio est, si crediderimus aduersus vocē pastoris nostri tā clarā, tam apertā, tam manifestā, vt nemo vel obtusus & tardus corde possit dicere, Non intellexi.* Itē: *vbi & quomodo in cœlo sit corpus dominicū, curiosissimū, & superuacaneū est quærere: tātūmodo in cœlo esse credendū est. Donec enim seculū finiatur, sursū est Dominus, & tamen etiam nobiscum est veritas Dominus: corpus enim, in quo resurrexit, vno loco esse oportet: veritas autem ipsius vbique diffusa est. Ideo autē absentauit se Dominus corpore suo ab omni Ecclesia, & in cælū ascēdit, vt fides ædificetur. Noli itaque dubitare, ibi nūc esse hominem Christum, vnde venturus est secundùm Christianam cōfessionem, resurrexit*

In Leuit.

Lib. 6. Dialog.

Lib. de Vnit. Eccle. cap. 10.

lib. de fide. & symbo. cap. 6.

Tract. 30. in Iohan.

Sermo. 140.

Ad Dardanum.

Vbi sit Christus.

à mortuis, Ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Patris, nec aliunde venturus est, in eadem carnis forma, & substãtia. Item: *Prorsus hîc est Dominus noster Iesus Christus: Imò hîc erat secundum carnem, modò hîc est secundum Diuinitatem: Ascendit in cœlum, ibi sedet ad dexteram Patris, hoc audiant, & teneãt. Respõdet aliquis: Tenebo absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. Parẽtes tui tenuerunt carne: tu tene corde, quoniã absens Christus, etiã præsens est: nisi enim præsens esset, teneri nõ posset.* Et post: *Secundũ corporis præsentiã, & carnẽ quam verbũ assumsit, ascendit in cœlũ, non est hîc, ibi sedet ad dexterã Patris: & hîc est. non enim recessit præsentia maiestatis, seu diuinitatis. Secũdũ præsentiã maiestatis semper habemus Christũ secũdũ carnis præsentiã rectè dictũ est: Me autẽ nõ semper habebitis.* Hieronymus: *Christus nõ est corporaliter in Ecclesia. Surgẽs enim à mortuis, ascendit in cœlum.* Ignatius: *Cùm quadraginta dies esset cum Apostolis conuersatus Christus, assumtus est in sedem paternæ dexteræ, vbi tãdiu permanet, donec aduersarij sui subiiciantur pedibus suis.*

Tractat. 70. in Iohannem.

Lib. 1. prouerb. cap. 8.

Epist. 2. & 7.

Ex quibus apparet, quod dexterę Dei sedes, quatenus relatiuè se habet, ad sessionem humanitatis Christi, per ascensionem ad hanc dexteræ sedem assumtæ, non sit vbique, sed in cœlo, atque sic etiam non vbique, sed in cœlo tantùm ad dexteram Patris sedeat homo Christus.

Nõ rectè igitur, nec cũ Orthodoxa articulorũ fidei explicatione sentit Kẽnitius, qui per hæc vocabula, *in cœlis, in cœlestibus, in excelsis*, addita sessioni ad dexterã, dicit nõ significari locũ cœli, in quo tãtùm ad dexteram Patris sedeat Christus, sed per hanc phrasin sermonis solùm indicari cœlestem & diuinam, non creatam seu mundanam maiestatem & potentiam. Ex hoc enim falso commento sequetur, Christum per ascensionem in cœlum, non esse translatum in locum beatorum & glorificatorum

Lib. de duabus naturis fol. 341. Hoc est articulos fidei in allegorias conuertere.

corporum, vbi se electis suis, hac sua in cœlum profectione, locum paraturum promisit, vt ibi sint vbi ipse est. Non enim alibi, vt dictum est, ad dexteram patris collocatus, sacerdotium & regnum suum exercet Christus, quàm quò, vt visibilis & palpabilis homo, per ascensionem abiit & recessit, & vnde sic etiam est rediturus. Itaque si non sursum in cœlo, sed vbique in omnibus creaturis, ad dexteram Patris sedet Christus, consequens est, ipsum per ascensionem in cœlum non esse sublatum in altum, super omnes visibiles cœlos, sed factum fuisse vbique præsentem in omnibus creaturis, atque ab hac vbique præsentia etiam rediturum esse in secundo & glorioso suo aduentu. Quid est igitur, quod Paulus sessionem Christi ad dexteram Throni maiestatis in cœlis, quos ingressus in conspectu Dei apparet, & intercedit pro nobis, & est sanctorum administrator, & tabernaculi veri, quod Deus fixit & non homo, opponit præsentiæ ipsius hîc super terram, si eadem prorsus est ratio sessionis ad dexteram in cœlo, & in terra? Hæc autem etsi non sint Orthodoxa, nec vllum in tota Ecclesiæ Antiquitate testimonium habeant: tamen adeò præfractè pro articulis fidei proferuntur & inculcantur, vt qui hisce assentiri non volent, non habeantur pro Christianis, sed pro Sacramentarijs & Caluinistis, quos cœlo terráque proscriptos esse oporteat, quamuis idem cum istis sentiant Pontificij, quibus tamen hac parte parcendum, nec tã tetra iniuria & inuidia eos grauãdos esse, admodũ callido & versuto consilio statuerunt sibíque cauerunt Patres Bergenses. Vnde ipsorum diiudicari Spiritus potest.

Vbiquistis terminus ascensionis est Vbique præsentia humanæ naturæ per sessionẽ ad dexteram.

ad Hebr. 7. 8. & 9.

Cælum opponitur Tabernaculo veteris Testamenti 2. Corinth. 5.

Iesuitę Ingolstad & Caspar Francus in sua Concio.

Tertiò: Sedet humanitas Christi ad dexterã Patris, nõ in alia, quã nostra carne, hoc est, vt Leo Roman⁹ ait, in nostrę veritate & proprietate naturę, quatenꝰ est visibilis, palpabilis,

III. Ab immutabili veritate corporis, in quo ad dexteram Patris sedet Christus.

bilis,& circumscripta.Sic enim, vt Paulus docet,iam nos per primitias in Christo collocati sumus in cœlestibus.Nõ est igitur,vt falsò docent Iacobus Andreas, & Musculus, hæc sessio ad Dexteram inuisibilis & illocalis omnipræsentia carnis Christi in omnibus locis, & creaturis. Nam quemadmodum proprietates humanæ naturæ per hypostaticam vnionem non sunt consumtę,nec hisce quicquã contrarium ex hac vnione inferri potest, sed vnà cum natura assumtæ,saluæ,& inconfusæ manserunt: Ita quoque per sessionem ad Dexteram nulla est facta proprietatũ mutatio,sed pro ea ratione & modo,quo Christus per assumtam serui formam verè est incarnatus;& tanquam Primogenitus ex Fratribus,similis ipsis,& ὁμοιοσιος factus: sic etiam in eadẽ assumta serui forma visibilis, palpabilis, & circumscriptus,in æterna gloria,Maiestate, & beatitudine,super omnes creaturas excellens, sedet ad Dexteram Patris. Ac proinde putida illa, & recens inuẽta Iacobandreana impostura est,Corpus Christi,non quidem per naturæ substantiam,sed secundùm modũ Dexteræ Dei(quę est ἀῤῥητος, in omnibus,& extra omnia) esse vbiq; & in pane Dominicæ Cœnæ. Nam etsi modus Dexteræ Dei sit inuisibilis,spiritualis,omnipotẽs,infinitus,& ab omni corporum natura & proprietate secretus, tamen hinc nõ est cõsequẽs, vt Iacobus Andreas crasso & nefãdissimo errore nugatur, corpus & humanitatẽ Christi per sessionẽ ad Dexterã assumere, & inducre modũ ipsius Dexteræ, hoc est,(sicut ipsa Dextera Dei) fieri,& esse inuisibilem,spiritualem,omnipotentem,infinitã,& absque omni proprietate veri Corporis vbique præsentem,qualis istorum hæreticorum error fuit,qui putabant, per modũ vnionis finiti cum infinito in eãdem hypostasin, parem vtriusque vnitionem fieri oportere. Sic enim quemadmodũ per hũc modum sessionis ad Dexterã Christus non potuisset verè

Protocoll. Heidelber. fol.5. & 60.& contra Bezam.

Nach art, vnnd weise, der Gerechten.

Fundamentum Iacobandreanæ impostur.

Modus sessionis ad Dexterã est Sacerdotium & Regnũ Christi in potẽtia & iudicio.

incarnari, & nobiscum ὁμοούσιος fieri. Ita quoque desineret esse verè incarnatus, & velut primogenitus ex fratribus nobiscum ὁμοούσιος homo.

Intelligunt itaque & vident hinc omnes sani & Orthodoxi, quàm planè sit futilis huius fundamenti, à Dexteræ Dei vbiquepræsentia, tam magno cum fastu inculcata sophistica, de qua non minus verè, quã de Democritei Atomis, dicere quis posset, *Nunquam maiores se nugas maiore conatu & autoritate audiuisse proferri & defendi.* Confundũtur enim in hoc argumento, & quasi eandem prorsus rationem habentia, pro eodem termino, fœdissima inscitia, accipiuntur, Dextera Dei, hoc est, Maiestas, gloria, & potentia Dei: Modus sessionis ad Dexteram: Cœlum, quod est paternæ Dexteræ sedes, in quam post glorificationem translatus est Christus: & ipsa Christi à nobis assumta humanitas, ad hanc Dexteræ sessionem collocata. Huic autem argumento, in hac plurium terminorum inordinata confusione, si locus esse debeat, sequitur, Christum per sessionem ad Dexteram, necessariò omnẽ assumtæ humanitatis veritatem & proprietatẽ amisisse & deposuisse, quod sic euidenter probatur:

Dextera Dei, inquiunt Vbiquistæ, *non est locus, nec in loco, neque sessio ad Dexteram est aliquid locale.*

Ergo humanitas Christi, eo ipso quod sedet ad Dexteram Patris, non est in loco, nec localis.

Hęc illatio argumenti non valebit, nisi pro ratione cõsequẽtiæ præsupponatur, Dexteram Dei, seu sessionẽ ad Dexterã, & Humanitatẽ Christi, per sessionẽ ad Dexterã, esse prorsus æquiparata, & in dispositione terminorũ argumenti supponere, vt in Scholis loquuntur, pro eodẽ. Alioquin, nisi hoc fiat, quatuor erunt Termini. Æquiparata itaq; esse oportet quo ad hoc, quòd nõ sint locus, nec in loco, sed res omninò similiter illocales. Quo sic posito, aut nullibi,

Plures, & diuersi termini, qui pro eodem nõ rectè accipiuntur.

Fallax Sophistica Argumenti à sessione ad Dexteram.

Ergo humanitas Christi non potest sedere ad Dexteram, vt visibilis & circumscripta.

nullibi, aut alicubi, aut Vbique esse oportebit humanitatem Christi in hac sua ad Dexteram sessione. Nullibi esse, non dicent Vbiquistæ, quanuis hoc Augustini iudicio reuera sentiant. Si autem alicubi tantùm: ergo non erit alibi. Idémque fuerit dicendum de ipsa Dextera, quod alicubi tantùm sit, quod pariter concedere non volent Vbiquistæ. Erit igitur Vbique: quia sic est, vt ipsi putant, & ipsa Dextera. Hoc verò iterum sic posito, sequetur, quod aut humanitas Christi est ad Dexteram eodē vbique præsentiæ modo, aut diuersis, & cōtrariis. Si eodē modo, nullibi visibilis & palpabilis, sed vbiq; inuisibilis & incircūscripta est, per Sessionem ad Dexteram humanitas Christi, atque sic necessariò facta est proprietatum mutatio, & naturarum confusio, quia per hoc deposita est carnis & naturæ nostræ forma, de qua ipse ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet. Quod si ita est: sublatum est igitur omne testimonium incarnationis, & redemptionis nostræ, nec supereſt nobis vlla spes nostræ cum Christo conformitatis. Sin autem diuersis præsentiæ modis est Vbique ad Dexteram, hoc est, in cœlo quidem, vt visibilis & palpabilis, secundùm veri corporis modum: alibi verò, Vbique, extrà & contra omnes humanæ naturæ proprietates incircumscripta: Tunc, si per assumtam carnis nostræ formam verè ad dexteram Dei esse & sedere dici potest Christus homo: non est necessaria ad hanc sessionem ad Dexteram Vbiquepræsentia ipsius in omnibus locis & creaturis, sicut ipsa Dextera Vbique præsens esse perhibetur. At si hoc præsentiæ modo non est, nec sedet verè & integrè ad Dexteram humana natura Christi, sed vt Vbique præsens vnà cum ipsa Dextera: illud tandē restat, vt hinc concedatur, quod pro istis diuersis & contrariis præsentiæ seu existendi modis (in quibus, propter positionem absolutam, impossibilis inest contradictio,)

In Epistol. ad Dardan.

Sic Articuli fidei se mutuò destruunt.

Christus nūc nō est alibi, nec aliū existendi modū habet, quā per sessionē ad Dexteram.

eadem humanitas Christi simul & semel sedeat ad Dexteram, & non sedeat, & quatenus ad Dexteram Patris sedet nullas habeat humanæ naturæ proprietates.

M. Illyricus & Hamburgenses ad Vvestphalū.

Non dissimilis argumenti ratione sunt qui articulo ascensionis in cœlum abutuntur.

Per Ascensionem in cœlum, aiunt, *Christus iuit ad Patrē.*
At Pater non est locus, nec in loco, sed vbique.
Ergo Christus per Ascensionem in cœlum non iuit ad locum, nec est in loco, sed vbi est Pater, vbique.

Pro cuius argumēti cōsequentia primò præsupponi est necesse, quum humanitas Christi nō possit esse Vbique, vt visibilis, palpabilis, & circumscripta, quòd in cōtrariis hisce proprietatibus substantialem existendi modum quem antea non habuit, per Ascensionem in cœlum assumsit & est consecuta. Secundò, Ex hoc præsuppositō sequetur, etiam talem fore omnium electorum in cœlum Ascensionem. Sicut enim Christus est dormiētium, & Resurgentium, ita est etiam Ascendentium primitiæ & caput, quia non sibi, sed nobis ascendit, & per adeptam cœlestis & æternæ hereditatis possessionem, totam salutis nostræ Oeconomiam hac sua in cœlum ascensione impleuit.

Ad locum Pauli Ephe. 4.

Hinc Irenæus: *Ascendit in cœlum, vt offerret & commendaret Deo patri hominem, quem redemit & recapitulauit, primitias resurrectionis nostræ in semetipso faciens, vt quemadmodum caput resurrexit à mortuis, sic rēliquum corpus omnis hominis resurgat.* Et Cyrillus: *Quum ipse sit primitiæ generis nostri, quando in cœlum ascendit, coram Patre nos constituit. Quasi ergo deficere seu deesse adhuc Oeconomiæ videbatur, vt in ipsos etiā cœlos ascenderemus in Christo. Quum enim omnia in terris, vt ab homine facienda, perfeciſſet, restabat iam, vt ad Patrem ascenderet. Ideo ait, Expedit vobis, vt ego vadam.*

lib. 10. cap. 31. In Ioan.

Tertiò, Quoniam Christus per Ascensionē non iuit ad patrē in Vtopicam Vbiquitatē, sed sursum, in cœlū, quò membra

membra sunt caput in hac ipsius ascensione sequutura, quatuor hinc in superiore argumento terminos comprehensos esse, ac proinde sophisticam fallaciam in eo committi apparet. Quia in minore propositione nulla sit vera & syllogistica subsumtio in medio cõcludendi, sed duo diuersi & separati termini, à maiore propositione, ponuntur: nempe, Pater, & Non locum esse, nec in loco. Cùm tamen minor propositio sic habere se deberet:

At ire ad Patrem, non est ire ad aliquem locum, nec esse in loco.

Hinc Patres Ascensionem in cœlum vocant localem migrationem.

Verùm hæc propositio, vt falsa, redarguitur ab ipso Christo, cùm ait: *Relinquo hunc mundum, & vado ad Patrem, vt vobis parem locum.* Item, *Vt sint, vbi ego sum:* quod quia non potest de incircumscripta corporum Vbiquepræsentia intelligi, necessariò de aliqua æternæ felicitatis certa beatorum sede & mansione intelligendum erit, sicut hoc perpetuo in Ecclesia consensu omnes Orthodoxi intellexerunt Patres.

Fructus contentionis de corporali præsentia.

Est autem extremè dolendum & deplorandum, quod hac indigna viro bono & Christiano sophisticatione articulorum fidei analogia euertitur. Nam humana natura Christi, quę per articulum incarnationis non nisi visibilis, palpabilis, & nobiscum homousios creditur, rursus per articulos de Ascensione in cœlum, & Sessione ad dexteram, ex hoc deprauato ipsorum sensu, in inuisibilis & impalpabilis naturæ conditionem, cum qua nulla nobiscum homousia est, conuertitur.

Quàm verò longè rectius de hoc fidei articulo senserit pia & Orthodoxa vetustas, quæ non solùm corporalem humanitatis Christi absentiam, sed & veritatem ipsius, in nostræ naturæ proprietate, contra hæreticos inde probare consueuit, sicut hoc ex Theodoreto cõstare potest, qui sic tandem ab ipsis etiam Cœnæ Dominicæ Symbolis contra Dial. 2.

Eutychen infert, & concludit: *Corpus Christi, quod diuina mysteria repræsentat, & cuius in hac mysteriorum institutione efficimur participes, priorem retinet formã, speciem, circumscriptionem, & essentiã: etiamsi per resurrectionẽ immortale factũ est, & ad dexteram Dei collocatum, ab omni creatura adoratur.*

Idem ad Hebræos septimo interpretans hæc verba: Excelsior cœlis factus est: *Hæc*, inquit, *humanitatis Christi sunt propria, & Deo Verbo cõuenire non possunt, cuius natura nequit loco circumscribi. Conueniunt igitur Christo, vt homini, non quasi alij à Deo Verbo, sed vt sciamus, quid humanitatis & Diuinitatis sit proprium.*

Idẽ Athanasius apud Theodor. Dialo. 2.

Cyprianus: *Inuisibilis Deus visibilem Filium ad dexteram suam recepit: & humilitatem carnis nostræ throno iudiciario honorauit.* Item: *Sedere ad dexteram Patris est assumtæ carnis mysterium. Neque enim incorporeæ Diuinitatis naturæ conuenienter ista, absque assumtione carnis, tribuuntur.* Quod si caro & humanitas Christi, per modum Sessionis ad dexteram, est absque omni humanæ naturæ proprietate inuisibilis, incircumscripta, & vbique, falsum est, Sessionem ad dexteram esse mysterium assumtæ carnis, secũdum quam ab incorporea Diuinitatis natura sit discernenda.

De ascensione Christi, & in expositione Symboli.

Augustinus: *Quod ex nobis suscepit, in cœlum leuauit, & ad dexteram Patris collocauit, & fidei nostræ certum pignus dedit, quod membra sint ipsum eò secutura. Regnat homo susceptus à Christo, ad dexteram Patris sedens, & vt sui regnum ab eo accipiant, vocat, inuitat, & hortatur.* Item: *Formã serui resurrectio non consumsit, sed in melius commutauit: In forma serui mortuus est, & resurrexit: Forma serui leuata est in cœlum, in ipsa sedet ad dexteram Patris, in ipsa venturus est ad iudicium.* Item: *Per formã serui visibilium, & inuisibilium creator ascendit in cœlum, vnde nunquam recessit: per hanc formam serui sedet ad dexteram Patris, Brachium Patris.*

In Sermo. de tra di. Symbo. lib. 2. contra Maxi. cap. 16. & epist. 146. lib. 2. de Symb. cap. 7. & lib. 4. cap. 7. & de vn. Euch. cap. 10.

Forma serui nõ est modus dexteræ Dei.

Hieronymus: *Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris.*

Patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substãtia, sed glorificata.

In Symbolo ad Damas. Ergo per sessionem ad dexteram caro Christi non est inuisibilis, & impalpabilis.

Chrysostomus: *Aperuit cælum, & ex hostibus amicos fecit, eosdem in cælum introduxit, & ad dexteram Dei collocauit naturam nostram. Quid ad hunc honorem comparari potest? Primitiæ nostri generis in tanta sublimitate sedent, & tanta gloria fruuntur, & capitis membra in throno regni collocata sunt per primitias.*

Apud Theodo. Dialo. 2.

Ambrosius: *In illo sedemus ad dexteram Patris, quia sedemus in Christi corpore. Sicut itaque sedemus in Christo, per vnitatem, ita quoque viuimus in ipso per corporis vnitatem.*

Lib. 4. de fide. Non sedemus in corpore Vbiquitario.

Leo Romanus: *Non solùm hodie cæli possessores firmati sumus, sed superna cælorum in Christo penetrauimus, quia nos Filius Dei sibi incorporatos ad Patris dexteram collocauit.*

Sermo. de Ascēs.

Hinc igitur tandem ex verè Catholica & Orthodoxa fide, si placet, discat Iacobus Andreas, corpus & humanitatem Christi, per sessionem ad dexterã, non esse eiusdem cum modo dexteræ Dei, quam ipse facit, æquiparatæ rationis: sed in hac ipsa sessione ad dextoram, assumtas per vnionem humanæ naturæ proprietates saluas & inconfusas manere, à quibus etiam in hac ad dexteram sessione veritas humanæ naturæ probatur contra Eutychianos. Alioquin non nostra natura, quatenus est assumta, nec nostræ carnis primitiæ in tanta sublimitate gloriæ sederent, nec capitis nostri membra in throno regni collocata essent, per primitias. Siquidem primitiæ eiusdem generis, naturæ, & proprietatis sunt cum iis, quorum sunt primitiæ. Inuisibilis autem illa, spiritualis, infinita, & Vbiquepræsens dexteræ Dei ratio non est nostra natura, nec carnis nostræ primitiæ, neque sic corpus Christi caput nostrum est, & nos membra ipsius. *Secundùm enim formam serui*, ait Augustinus, *Christi capitis nostri corpus & membra sumus.*

Prouocatio ad Catholicam & Orthodoxam fidem.

Art, vnnd vrsach der Rechten, non est ipsa natura, nec mutat naturam assumtæ carnis.

Monendus est autem postremò circa secundū hoc fundamentum Lector, quod cùm Zuinglius & OEcolampadius ab Ascensione Christi in cœlum ibíq; ad dexterā Patris sessione, Orthodoxo horum articulorum sensu negarent, Verbis Cœnæ corporalē carnis Christi in pane præsentiam contineri, seu doceri (sicut hoc eodē modo Christus contra Capernaitas facit, & Paulus ad Hebræos octauo, & Augustinus in Sermone ad Infantes) contrà Lutherus, pro asserenda hac corporali præsentia, Ascēsionem in cœlum, in inuisibilē humanitatis disparitionē, & sessionem ad dexteram, in illocalem carnis vbique præsentiam, noua, & Orthodoxæ Ecclesiæ ignota interpretatione, cōuertendam sibi esse putauit. Quo factū est, vt quibus articulis iā olim Orthodoxa vetustas corporalē hinc Christi à nobis absentiā probare cōsueuit: Isti nunc per cōtentionē pro fundamento corporalis præsentiæ in hac noui sensus peruersitate abutantur. Cæterū vt iste sensus procul dubio falsus, & fidei analogus nō est, ita non minus falsa est, quæ isto peruerso articulorū fidei sensu nititur, corporalis præsentia.

Corporalis præsentiæ defensio peruertit articulos fidei.

August. tra. 50. 64. 94. & 106. in Ioan. Vide Ortuin. Gratium consens. fol. 165.

Attamen ex verè Orthodoxo istorum articulorum fidei sensu, pro euertendo hoc secundo fundamēto, tale colligi & effici firmum, & irrefutabile argumentum potest.

Christus demum post resurrectionē, & ascensionem in cœlū, sursum, & in cœlo tantū, vbi est dexteræ Dei sedes, & chronus Maiestatis eius, in assumta nostræ naturæ veritate & proprietate, seu, vt Augustinus ait, secundùm veri corporis modū, sedet ad dexteram Patris, eleuatus in Regno & Sacerdotio, supercelestes creaturas.

At secundùm hunc veri corporis, & nostræ naturæ proprietatis modū, Christus, neq; in primæ Cœnę institutione fuit, neque nunc corporaliter esse posset in pane Eucharistiæ, & multo minus vbique, sicut hoc fatentur Iacobus Andreas & Vbiquistæ.

Ergo

Ergo à modo sessionis ad Dexteram nullum sumī fundamētum, & nulla defensio potest, pro corporali præsentia corporis Christi in pane. Et sic olim tota Sueuorū Ecclesia, subscribente ipsorū Syngrāma Luthero, de hoc articulo fidei sensit, cùm Oecolampadiū & Zuinglium erudire eósque in suā sententiā per trahere vellēt. ita enim scribūt. anno 1525.

Præsentia corporis Christi in Cœna confertur cum Spirituali præsentia donorum.

An adhuc imaginaris de quopiam Christi aduētu humiliationis & glorificationis? quasi verò nouus Christi aduētus sit, si nobis verbo mittatur vel Spiritus sanctus, vel Remissio peccatorū, vel iustitia, vel corpus & sanguis eius. Non enim quispiam aduentus est Christi, quemadmodum initio carne venit, nouissimo in gloria venturus, sed doni communicatio & distributio est. siquidē verbum ea quæ in primo Christi aduentu allata & impetrata sunt conseruat, & nobis distribuit. Impetrata est remissio peccatorum. Allatum est corpus, allatus est sanguis: hæc verbo conseruantur, manente interim Christo, summo Pontifice, & Sacerdote, à dexteris Patris, nec in multos Christos diuiso. Vnus enim est Christus, sic & vnum Christi corpus. Et sicut non multi fiunt Christi, ex credentium in Christum multitudine, ita non fiunt multa corpora, ex manducantium numero. Nonne verbum ab oné hominis auditum, vnum est, manēte tamen apud loquentem: distribuitur interim, manente etiam eius vnitate, in multos auditores? Sic & vnū Christi corpus, per verbum in pane multis manducantibus distribuitur, manens interim cum Christo à dexteris Patris sedente, manente etiā corporis vnitate. Et post: *Nos collatis diligēter rationib', cogimur à Spiritu verbi fateri panem Cœnæ esse verum corpus, non figuratum, non tropicum, sed illud ipsum, quod pro nobis traditū est, non detrahentes interim Christum à dexteris Patris, sed donū corporis & sanguinis verbo commissum, & conseruatum, & per verbū ad panē aduectū, summa animi gratitudine susciptētes.*

Ergo corpus Christi non est realiter in pane existens per sessionem ad dexteram.

Hoc non negauit Oecolampadius.

Hoc tempore, cùm nondum penitus imaluisset Spiritus ille cōtentionis, ignoram adhuc fuisse apparet vniuersalem illā vbique præsentiam in omnibus locis & creaturis,

per modum dexteræ, & sessionis ad dexteram: sicut hanc hodie inculcant authores libri Bergensis. Rectè autem in eo sentiunt Sueuicarum Ecclesiarū ministri, quemadmodum articulus de sessione ad dexteram non repugnat præsentiæ & communicationi corporis & sanguinis Christi in verbo: ita quoque per hanc sessionem ad dexterā non impediri communicationem corporis & sanguinis Christi, quatenus ea in pane Cœnæ per verbum distribuitur & percipitur. quia videlicet idem vtrobique, in pane, & verbo, præsentiæ & communicationis modus est.

Thomas 3. parte quæst. 58. art. 2. 3. & 4.

Denique nec Scholastici, ad quos tamē subinde prouocat Lutherus, vllā humanitatis Christi vbiquepręsentiam, à dexteræ Dei vbiquitate, intellexerunt, sed hāc constantissimè reiecerunt. Est igitur hic non Catholicæ & Orthodoxæ fidei, sed quinti Euangelij articulus.

Cōtrarietas fundamētorum testimonium erroris, & ignoratæ veritatis.

Quinetiam si rectè res expendatur, hoc ab vbiquepræsentia dexteræ Dei sumtum fundamentum, cum priore illo, ab vnione personali, non satis consentit. Nam si propter indiuisam personæ in duabus naturis vnitatem, vbicunque est Christi Diuinitas, ibi etiā substantialiter adest, & coexistit eius humanitas, quomodo pro causa & fundamento istius vbiquepræsentiæ adduci potest, quæ post glorificationem per ascēsionem primùm cœpit; illa ad dexteram Patris sessio? Aut igitur, si ab hac sessione ad dexteram tanquàm à propria sua causa efficiente, infertur humanitatis Christi vbiquepræsentia, per hoc superius ab vnione personali extructum fundamentum euertitur: Aut, si non est propria & vera vbiquepræsentiæ causa hæc ad dexterā Patris sessio, fallaciam à nō causa ad causam in hoc secundo fundamento committi, est fatendum. Sic accidere solet, vt passim impingant, quorum mens contentioni indulgens, & non sanari, sed vincere cupiens, auersa ab iis, quæ rectè dicuntur, tantùm intēta est in hoc, vt inueniat, quod pro suis partibus eloquatur.

Maxētius contra contētiosos.

DE

DE TERTIO FVNDAMENTO.

IN tertio fundamento ad veritatem verborum Dominicæ Cœnæ prouocat Lutherus. At priusquàm de veritate verborum quæratur, in primis de genuino sensu ipsorũ constare oportet. Verbum enim Dei aliter quàm ipse intelligi voluit, acceptum, definit esse verbũ Dei. Vnde Hieronymus: *Non putemus in verbis & scripturis esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Ad Galatas.

A veritate verborum Dominicæ Cœnæ.

Est autẽ huius fundamenti hęc illatio, quam in Polemicis suis scriptis ex Dominicæ Cœnæ verbis facit Lutherus:

Accipite, manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.

Ergo corpus Christi realiter præsens adest, & ore corporaliter manducatur in pane.

Argumentũ Lutheri ex verbis Cœnæ. Vide Orthodo. Consens. cap. 7.

At hæc illatio nulla necessitate sequitur, aut infertur ex verbis Christi quibus panis, quem accepit, fregit, & discipulis suis dedit, dicens, Accipite & mãducate, &c. Corpus ipsius in mortem traditum esse dicitur. Vident enim, & intelligunt omnes sani & eruditi, neque verbis, neque sensu easdem seu æquipollentes, sed planè diuersissimas locutiones esse, Hoc, id est panis, quem fregi, & dedi vobis, est corpus meũ, quod pro vobis traditur. Et, Accipite & manducate corpus meum, quod inuisibiliter est & existit in pane. Et tamen nisi hæc illatio, & verbis, & sensu verborum Christi contineri ostendatur, planè frustratoria est ad veritatem verborum Dominicæ Cœnæ per Lutherum facta prouocatio.

Hanc autem illationem non solùm Dominicæ Cœnæ verba ex se nõ gignunt, sed nec contextus ipsorum, & ordo illã admittit. Hoc enim, vt series actionis Cœnæ ostendit, accipere & mãducare iussit Christus, quod ipse in ma-

A serie, & ordine verborum & actionis Dominicæ Cœnæ.

nus accepit, benedixit, fregit, & dedit, id est, panem. Sicut igitur is non accepit in manus corpus suum, nec benedixit, nec fregit, nec dedit, quasi iam sub pane realiter contentū, ita quoque non iussit hoc sub pane accipere, & manducare, externa videlicet, & corporali oris manducatione. Et quamuis hūc panem sic in manus acceptum, benedictum, fractum, & discipulis, vt eum acciperent, & manducarent datum, corpus suum, quod in mortem pro iis traderetur, esse dixit, tamen ex eo non sequitur, hoc corpus realiter, & inuisibiliter in pane adesse & contineri, atque sic vnà cū pane corporaliter ore manducari. Sicut similiter ex verbis instituti veteris Paschæ non sequitur hæc illatio: *Comedite festinanter, scilicet agnum hunc, sicut vobis præcepi. Est enim Pascha seu transitus Domini. Ergo Pascha & transitus Domini, festinanter & corporali manducatione, sicut agnus, comeditur.* Incurrit enim hæc illatio in figuram dictionis, nec valet, propter genus prædicationis mutatum.

Cyrillus: Credentibus discipulis fragmenta panis dedit.

Negatur consequentia.

Ab instantia verborum veteris Paschæ.

Est autem pro intelligendis mysticis Dominicæ Cœnæ verbis consideratione in primis dignum, quod Christus in locum sublati veteris Paschæ, nouum illud, quod ipse immolatus est, instituturus, cùm ait: *Desiderio desideraui, hoc Pascha vobiscum manducare, antequàm patiar*, non multò dissimili forma seu modo vsus fuerit, quo Moses in instituendo veteris Paschæ ritu. id quod obseruasse, eóque in interpretandis verbis Christi respexisse videtur Chrysostomus. Sicut enim Moses de instituto veteris Paschę ritu ait, *Comedite festinantes*: Sic Christus, *Accipite & comedite*, ait. Et quod Moses de Agno, seu solenni ritu hunc agnū iuxta legis præceptum comedendi, dicit: *Est enim Pascha, hoc est, transitus Domini*: Hoc Christus de pane & vino, eiúsque in hoc nouo Paschæ ritu commendata manducatione & potatione dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc est sanguis meus qui pro vobis effunditur.* Denique quod præcipit

Homil. 83. in Matth. Exod. 12. Collatio institutionis veteris, & noui Paschæ.

Agnus est Pascha, hoc est, ritus agni Paschalis est victima & religio seu cultus memoriæ Paschæ seu trāsitus Domini.

cipit Moſes: *& erit vobis dies iſte in recordationem, & celebrabitis ipſum cultu ſempiterno:* in memoriam videlicet Paſchę & tranſitus Domini: Hoc Chriſtus de eo, quod accipiens in manus, benedixit, & diſcipulis ſuis dedit, inquiēs: *Accipite & manducate:* Item, *Bibite ex hoc omnes:* præcipiens dixit, *Hoc facite in mei commemorationem.* Quod ſic interpretatur Paulus: *Quotieſcunque manducaueritis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat.* Ex qua collatione verborum inſtitutionis vtriuſque Paſchæ, facilè iudicari poteſt, quo ſenſu diſcipuli verba Cœnę intellexerint. Nam quia Chriſtus inſtitutionem Cœnæ à figurata & tropica locutione incepit, cùm ait: *Deſiderio deſideraui, hoc Paſcha vobiſcum manducare*, hoc eſt, celebrare ritum victimæ, & religionis Phaſe, ſeu trāſitus Domini: ſatis hinc colligere poterant diſcipuli, ſicut in locum Agni Paſchalis Dominica illa Cœna eſſet ſubſtituta, ita etiā locutiones ſacramētales vtrobiq; eſſe myſticas, & eiuſdē ſenſus & interpretationis. Ergo hunc panem, quem accepit, fregit, & dedit Chriſtus, ſic corpus ipſius, quod in mortē pro iis traderetur, eſſe, & hoc corpus in iſto pane manducari intellexerunt diſcipuli, ſicut agnus eſt Paſcha, & in ſolenni hunc agnum edendi ritu Paſcha manducatur.

Verba Cœnæ incipiūt à tropo.

Paſcha propriè non māducatur ore, ſicut nec cōrpus Chriſti.

Sic panis eſt cōrpus in mortem traditum, ſicut agnus eſt Paſcha: Et in agno Paſcha manducatur.

Deinde, quæ Marcus de calice ſcribit, ſupra dictæ illationi prorſus repugnāt & aduerſantur. Sic enim ait: *Et accepto calice, cùm gratias egiſſet, dedit illis, & biberunt ex eo omnes, & dixit: Hoc eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico vobis, non bibam poſthac de fructu vitis.* Cùm igitur ex hoc ordine actionis Dominicæ Cœnæ, ſicut eam deſcribit Marcus, conſtet, quod iam priùs ex calice biberunt Apoſtoli, id quod ſtatim in ſequentibus verbis fructum vitis vocat Chriſtus, antequàm diceret: *Hoc eſt ſanguis meus noui Teſtamenti:* ex quo Chryſoſtomus & Cyprianus colligūt, vinum fuiſſe, quod Apoſtoli biberunt, &

Homil. 83. in Matth lib. 2. Epiſtol. 3.

sanguinem esse Christus dixit: certè manifestum hinc euadit, istum verborum Christi sensum, quo sanguis iam realiter sub vino extitisse & corporaliter vnà cum vino ab Apostolis bibitum fuisse fingitur, prorsus esse commentitium, nec cum ordine institutionis & actionis Dominicæ Cœnæ consistere posse. Sicut enim, si quis ab aduersariis quærat, quid reuera fuerit, illud, quod dedit Christus, & biberunt Apostoli, de quo, posteaquàm bibissent, dixit: *Hoc est sanguis meus noui Testamenti*, constanter & verè respondere non possent, fuisse hoc verum sub vino Christi contentum sanguinem. id enim is fructum vitis vocat: ita quoque ex his verbis: *Hoc est sanguis meus noui Testamenti*: nulla necessitate inferri potest, sanguinem sub vino realiter in calice comprehensum & datum à Christo, & vnà cum vino corporaliter & ore bibitum fuisse ab Apostolis.

Corporalis præsentia non congruit cũ verbis Marci.

Denique & interpretatio Pauli superiorem Lutheri illationem ex verbis Cœnæ non admittit. Quod enim Christus panem, quem accepit, & discipulis suis distribuit, corpus suũ, quod pro iis traderetur, esse dixit, hoc Paulus ex ipso instituto, vsu, & actione Cœnæ sic interpretatur: *Panis quem frãgimus, est κοινωνία seu cõmunicatio corporis Christi*. Sicut autem hæc *κοινωνία* & cõmunicatio corporis Christi realiter non existit, aut corporali præsentia continetur in fracti panis sumtione: ita quoq; corpus Christi propterea realiter nõ existit in pane, quia videlicet fractus à Christo panis est corpus ipsius in mortem traditũ. Quoniã itaque ista *κοινωνία* & communicatio corporis Christi non est externa, & corporalis ipsius distributio, sed spiritualis cõsociatio, vnio, & coniunctio fidelium cum corpore Christi, qua concorporales, & membra ipsius efficiuntur: Ergo nec etiam Panis est corpus Christi, propter corporalem ipsius in pane præsentiã & distributionẽ. Sic enim Paulus panem, quem in Dominicæ Cœnæ ritu frangunt fideles,

Interpretatio Pauli 1. Corint. 10. Sic panis est corpus, sicut in fractione & sumtione panis est κοινωνία corporis Christi.

Qualis sit apud Paulum corporis Christi κοινωνία.

κοινωνί-

κοινωνίαν & communicationem corporis Christi esse dicit, sicut qui de vno hoc pane participant, Vnus panis, & vnũ corpus sunt. At vnus panis, & vnũ corpus, nõ nisi spirituali ratione & modo sunt fideles, de quibus idem Paulus ait: *Multi vnum in Christo corpus sumus, singuli autem alterius membra:* Sicut hoc vno consensu omnes intellexerunt Patres. Hinc Chrysostomus: *Quid est panis? corpus Christi, Quid sunt qui accipiunt: Corpus Christi.* Ergo etiam κοινωνία & cõmunicatio corporis Christi tantũ est fideliũ, qui per hoc συγκοίνωνοι, hoc est, consocij & cõsortes Christi fiunt, propria. In quam κοινωνίαν dicit Paulus vocatos esse fideles, vt sint incorporati in Christo Iesu, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemtio. Hinc Augustinus: *Non dicendi sunt manducare corpus Christi, qui in corpore non sunt Christi, nec in membris eius sunt computandi. Nõ enim possunt esse simul membra Christi, & meretricis. Nam qui discedunt à Christo, nec carnem eius manducant, nec sanguinem bibunt, etsi tantæ rei Sacramentum quotidie ad iudicium præsumtionis suæ accipiunt.*

Rom. 10.

1. Corinth. 1.

Lib. 21. cap. 24. & 25. de Ciuita. Dei, & cap. qui descendit. de Cõsecrat. dist. 2.

Hanc esse veram Pauli de κοινωνία corporis Christi sentẽtiam, his rationibus probatur. Primò. Cùm ad deterrendos ab Idolothytorum esu Corinthios, vtitur argumento ab Eucharistia sumtò, rationem & elenchum argumenti collocat in legitimo vsu, ex vero & destinato ipsius fine, quo in fractione & sumtione sacri panis, instituta & sancita est corporis Christi κοινωνία, sicut in Baptismo lauacrum regenerationis in sanguine Christi, propter videlicet additam Sacramentorum institutioni spiritualium rerum promissionem. Proinde quemadmodum hæc promissio, cuius Sacramenta sunt signa, respicit legitimum ipsorum vsum: Ita quoque in omni argumento à Sacramentalibus signis ad ipsarum rerum communicationem sumto, sicut est istud Pauli, semper præsupponitur, & includitur condi-

Locus Pauli cõtra librum Bergensem explicatus.

Ratio argumẽti quo vtitur Paulus.

tio legitimi vsus ex vero suo fine. Vnde etiam in recto Sacramenti vsu, ex hac infallibilis Diuinæ promissionis veritate, inseparabilis est veritas à signo.

Secundò. Quod itaque Paulus ait: *Nonne panis quem frangimus:* hoc sic de fidelibus, & rectè Eucharistia vtentibus dictũ vult intelligi, de quibus postea subdit: *vnus panis, vnum corpus multi sumus, quotquot de vno pane participamus.* Sicut enim ab vnius panis manducatione Paulus infert ad vnitatem corporis fidelium in Christo, quod genus argumenti mysticum est, à signo ad rem signatã: Sic etiam à fractione & sumtione Panis, in vsu instituto, & ex vero ipsius fine, infert ad κοινωνίαν & communicationem corporis Christi, quam ex hoc argumento Pauli talem intelligi oportet, qua sicut Christo συγκοίνωνοι, ita quoque Vnus inter se panis & Vnum corpus sunt fideles.

Tertiò: κοινωνία corporis Christi, in vsu instituto, opponitur κοινωνίᾳ Diabolorum, sicut & socium mensæ Christi, & Diabolorum mensæ socium esse, inter se opponuntur. *Non potestis,* inquit Paulus, *mensæ Domini socij & participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Item: *Nolo vos socios Dæmoniorum esse.* Ergo hæc κοινωνία corporis Christi piorum est propria. Conferuntur enim in hoc argumento Pauli inter se, quadam analogia & habitudine, quatuor istæ res, Panis, quem in Eucharistiæ ritu frangunt fideles, & Idolothytorum esus, κοινωνία corporis Christi, & κοινωνία Diabolorum. Quemadmodum itaque in ratione Paulini argumenti se habet esus Idolothytorum, ad κοινωνίαν & societatem Diabolorum: Eodem modo se habet panis, quem in recto vsu frangũt fideles, ad κοινωνίαν corporis Christi.

Res in argumẽto Pauli inter se collatæ.

Quartò. Tota Orthodoxa Antiquitas hanc κοινωνίαν corporis Christi intellexit de spirituali cõsociatione, vnione, & incorporatione cum Christo, in quam vocati sunt fideles, sicut hoc prolixè demonstrarunt Orthodoxi Consensus;

Cap. 2.

sensus Autores. Sic autem Græcus Scholiastes: *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? hoc est, nos in communionem corporis Christi agglutinat, vt membra capiti, per participationem. Vnde autem hoc manifestum est? Quia vnum corpus sumus, qui vocamur omnes, qui Christo coniuncti, seu coagmentati sumus, vt membra capiti.* Et Chrysostomus ait, *Sicut hoc corpus vnitum est Christo, sic nos per hunc panem mysterij vnione Christo, vt membra capiti, coniungimur.* Item Bernardus: *Calix benedictionis nonne communicatio sanguinis Christi est? id est, communicatio calicis, facit nos habere quandam cõmunionem cum Christo. Et, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? ac si diceret, Panis quem frangimus, facit nos vnũ corpus cum capite Christo.* Et sic olim ante cœptam cum Carolostadio cõtrouersiam, hanc communicationem corporis Christi, & vnitatem fideliũ, qui cõmunicant, intellexit & explicauit Lutherus. *Hæc spiritualis*, inquit, *communio in Sacramento Cœnæ, velut in sacro aliqua & certo signo, nobis promittitur, offertur, & donatur. Expedit enim, & est necesse, quod hæc communio cum Christo omnibus sanctis fidelibus in ipsomet Christo arcanè, inuisibiliter, & spiritualiter fiat, & quod tantùm corporale, visibile, & externum ipsius signum nobis exhibeatur: Eáque est vera huius Sacramenti significatio. Vnde Sacramentum in pane & vino accipere, nihil est aliud, quàm certum signum accipere huius communionis, & incorporationis cum Christo, & omnibus eius sanctis, & fidelibus. Quemadmodum si cui alicui daretur signum, chirographum, seu symbolum aliquod, quo certus, & persuasus esse debeat, se in cinem receptum, vt membrum ciuitatis: omniúmque Iurium, & Priuilegiorum ipsius consors & particeps sit: de quo Paulus ad Corinthios loquitur: Omnes vnus panis, vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.*

1. Corint. 10.

In sermo. in die Purificat.

In sermo. de Eucharistia, & fraterni. anno 19.

Hæc hodie in aliis vt Caluiniana damnantur.

Nota. Quid ad hoc dicent Patres Bergenses? Cur hæc in suo libro ex Luthero non citarunt?

Hæc ita tunc Lutherus contra Pontificios, quibus, quæ

Patres Bergenſes ex ipſo, ad peruertendam hanc Pauli ſententiam, in ſuo nouo doctrinæ Corpore congeſſerũt, omnium ſolidiſſimè refutantur. Nam quod panem quem frangimus, cõmunicationem corporis Chriſti à Paulo hoc ſenſu dictum eſſe interpretantur, quaſi panis fractus ſit corpus Chriſti diſtributum, ita vt quicumque iſtum panem manducat, etiam corpus Chriſti diſtributum manducet, & percipiat, non ſolùm recens, & omni Eccleſiæ autoritate, conſenſu, & teſtimonio deſtituta, ſed & cum ipſo cauſæ, quam Paulus agit, ſcopo & ſtatu pugnans, atque diſſentiens interpretatio eſt, quæ quia in Eccleſia non eſt nata, nec recepta, meritò repudiatur, vt non Orthodoxa. Eſt autem adeò validum & efficax, quod pro interpretandis Dominicæ Cœnæ verbis, ex hoc Pauli loco adducitur, argumentum, vt poſtquam Lutherus contendendi cum Aduerſariis ſtudio, & propter ſuſceptũ ex pacto & ſpõſione cum Caroloſtadio certamine, ſuperiorẽ ſuam ſententiã mutaſſet, non aliter OEcolampadio reſpondere poſſet, quàm ſi etiam Pauli mentem ſimul & verba pericu losè peruerteret & immutaret, qua de re ad Orthodoxum cõnſenſum remittendus eſt Lector.

Folio. 11. & 39.

Sunt verò & aliæ perplures, eæque omnium grauiſſimæ cauſæ & rationes, cur talis illatio, quam Lutherus pro ſenſu verborum Chriſti facit, non concedatur: vbi econtra nulla vel ſcripturæ autoritas, vel vrgẽs ratio afferri poteſt, cur propterea quòd fractus à Chriſto panis, quem diſcipulis ad manducandum dedit, corpus ipſius in mortem traditum eſſe dicitur, neceſſariò ſequatur, hæc ita intelligi oportere: Corpus Chriſti inuiſibili exiſtentia realiter eſt, & continetur in pane.

Rationes contra illationem Lutheri ex verbis Cœnæ.

Vide Orthod. conſenſ. fol. 162. cum ſequent.

Nam quia Corpus Chriſti, quatenus in mortem traditum eſt, de fracto Euchariſtiæ pane, Sacramentali locutione prędicatur, ex propria verborum ſignificatione hoc de

Panis eſt viſibile, & palpabile Chriſti corpus.

de corpore Christi, quod visibile, & palpabile in cruce pependit, est intelligẽdum. Talem enim se carnem, quæ pro mundi vita data est, nobis daturum promittit Christus. Et hinc Augustinus Sacramentum hoc esse dicit, quo signatur non inuisibile & impalpabile aliquod Christi corpus, sed visibile & palpabile, quatenus in cruce pependit: Et Cyrillus, *Christum in mysteriorum celebratione*, dicit, *inuisibiliter adesse & apparere vt Deum, visibiliter verò in corpore suo, quod nobis videndum & tangendum præbet, vt firmiter credamus, quia templum suum suscitauit. Fractum enim panem*, ait, *distribuit discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hoc facite in mei commemorationem.* Cui prorsus simile est illud Chrysostomi: *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis, & carni ipsius dentes infigis.* Item: *Ipse concedit tibi non tantùm videre, verùm & manducare, & tangere.* Hoc igitur modo Christus in mysteriorum celebratione corpore suo visibili & palpabili seu tãgibili adesse, & apparere intelligitur, quia sicut fractus & discipulis distributus panis est corpus Christi in mortem traditum, ita quoq; in veris ipsius proprietatibus est visibile, & tãgibile corpus. Oportet enim talia rerũ nomina antitypis mysteriis tribuere, qualis est ipsorũ, quẽ repræsentant, Archetypus. At verò cùm corpus Christi dicitur realiter esse & contineri in pane, plura falsa, tum verbis Christi, tum articulis fidei contraria præsuppositа committuntur.

In Ioan. lib. 12. cap. 56.

Homil. 50. in Ioan. & Homil. 60. ad populum.

Theodo. Dial. 2.

Primò, quod non ipse visibilis Eucharistiæ panis, sed aliud inuisibiliter, in, vel sub pane reali existentia præsens, corpus Christi esse dicatur, contra quod olim in Regem Angliæ sic scripsit Lutherus: *Ex contextu sermonis ostendi, pronomen, Hoc, ad panem referri. Nam textus sic habet: Accepit, benedixit, fregit, dedit, & dixit: Hoc est corpus meũ. Vides hîc, quod omnia illa verba: Accepit, benedixit, & fregit: de pane dicantur, & rundẽ demõstret pronomen, Hoc: Quia idipsum quod*

1

Falsa corporalis in pane præsentiæ præsuppositа.

Lutherus cõtra Regem Angliæ. anno 23.

Idem Kemnitius contra Synod. Trident.

benedixit, fregit, & dedit, Hoc inquam acceptum, benedictum, & fractum significatur, cùm dicitur, Hoc est corpus meum: non prædicatum, sed subiectũ demonstratur. Non enim corpus suum accepit, benedixit, & fregit, sed panẽ: ideo nõ demõstrat corpus, sed panem. Hæc sunt clara verba Christi, quæ NEQVISSIMI SOPHISTÆ OCCVLTANT, *& nudam illam propositionem vrgent, Hoc est corpus meũ, & Pronomen, Hoc, ad corpus propria temeritate aptant, & simul clamant: Verba sunt clara & aperta.*

Nota. Hæc omnibus Pseudolutheranis dicuntur.

Secundò, Si in verbis Christi, *Hoc est corpus meum*: per Pronomen, *Hoc*, demonstratur corpus in pane præsens, sicut cùm dicitur, Hoc est vinum: Hoc est pecunia: necessariò tunc præsupponi oportebit, Hoc corpus iam antea ex alia, quàm Dominicæ Cœnæ institutionis causa, præsens in pane adesse. Cuius absurdissimæ & impiissimæ sententiæ etsi sit liber Bergensis, non ausus est tamen eam apertè profiteri.

Tertiò, Quod si ex mente Christi verè æquipollentes, & eiusdẽ sensus locutiones sunt: *Hic panis est corpus meum:* &, *In hoc pane realiter adest, & existit corpus meum:* Sequẽtia Christi verba: *Hoc facite in mei commemorationem*, quibus totus ille institutus Dominicæ Cœnæ ritus fieri iubetur in memoriam mortis Christi, hoc sensu intelligenda, & explicãda essent: Hoc corpus meum, realiter in pane præsens, manducate in mei commemorationem. At hanc interpretationem redarguit Paulus, sic verba Christi de eo, quod in cõmemorationem mortis suæ fieri, & manducari iussit, intelligenda esse volens: *Quotiescunque manducaueritis hunc panem, mortem Domini annunciate, donec veniat.* Sicut ergo hæc sequentia verba: *Hoc facite in mei commemorationem*: ex hac interpretatione Pauli, non habent hunc sensum: Quotiescunque manducaueritis hoc corpus meum reali in pane existentia præsens, annunciate mortem meam, donec veniam: Sic etiam præcedentia

Vide Orthodoxens. fol. 39.

verba

verba: *Hoc est corpus meum*: non possunt hoc obliquo sensu intelligi: In hoc pane substãtialiter præsens adest corpus meum.

Quartò: Quod corpus Christi, propter verba Cœnę, hoc est, Sacramentalem prædicationẽ corporis de pane, præsupponatur ex visibili, palpabili, & circũscripto, fieri inuisibile, impalpabile, & incircũscriptũ, quale nõ est à nobis per incarnationem assumtũ nec in mortẽ traditũ, nec in cœlum ascendens, sedet ad Dexteram Patris. Istud autẽ præsuppositum incurrit in Regulam Augustini, quam in libro de vera religione cap. 17. tradit: Vult enim Mysteriorũ, seu Sacramentorũ, quæ in scripturis sunt, expositionem dirigendam esse ad ea, quæ de istis rebus apertissimè dicta sunt. Alioqui Sacramẽta non esse signacula veritatis, nisi cum cognitione conueniret actio. Quoniã ita que de veritate corporis Christi cõtra discipulorũ dubitationem, & opinionem de Spiritu seu spectro, apertissimè in scriptura dictum est, *Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*: hoc Augustinus infallibile argumentũ esse dicit, quo veritas corporis Christi confirmatur. Iam si propter sacramentalia verba Cœnæ credi debet, corpus Christi, nec visibile, nec palpabile, nec circumscriptum, realiter existere & contineri in pane, certè per hoc mysteriorum seu Sacramentorum intelligentia & explicatio non dirigitur ad ea, quę apertissimè de corpore Christi sunt dicta, nec Sacramenta erunt signacula veritatis (quia tale corpus, quod non habet essentiales suas proprietates, propter quas nõ Spiritus, seu spectrum, sed corpus esse dicitur, non est verum) nec etiam cum cognitione conueniet actio, hoc est, in Sacramentorum actione, & celebratione, non eadem docebitur veritas corporis Christi, quam in cognitione scripturæ visibilem, palpabilem, & circumscriptam profi-

Regula Augustini de interpretatione Mysteriorum.

Lucæ. 24.

Vide Orthod. Cõsens. fol. 165.

cemur, nec eiusmodi in scriptura traditæ veritatis signacula, erunt sacramenta.

Quibus addendum est quintò, Quod talis non debeat admitti verborum Dominicæ Cœnæ sensus & interpretatio, cuius præsuppositum est impossibile, secundùm naturam, & alios articulos fidei.

Ac corporalis præsentia præsupponit idem numero corpus Christi simul & semel esse visibile, & palpabile in cœlo, & invisibile, & impalpabile in pane Eucharistiæ.

Theodoretus, Vigilius, Damascenus lib 3. Vide Orthod. Cõsens. fol. 220.

Hoc est autem impossibile, non tantùm per naturam, quæ sublata essentiali proprietate, non potest esse superstes, sed etiam secũdum articulũ de incarnatione. In isto enim ex Synodico principio pro immota fidei certitudine docetur, ideo duas integras, salvas, & differẽtes naturas in Christo confitendas esse, quoniã vna natura non possit in se suscipere contrarias proprietates, hoc est, simul visibilis, & invisibilis, palpabilis, & impalpabilis, circumscripta, & incircumscripta esse. sicut hoc modo Christum in vtraque natura confitemur.

Ergo verba Cœnæ, quibus panis dicitur esse corpus Christi, non possunt, nec debent de corporali præsentia invisibilis & impalpabilis corporis in pane intelligi.

Sextò. Quod eiusmodi corporis veram in Cœna communicationem percipere non possumus, cum quo nulla nobis naturalis vnitas & coniunctio est, neque cui hac ipsius communicatione incorporati, caro de carne, & os de ossibus ipsius sumus, & efficimur.

Septimò. Quod corpus Christi, quod ante verba, & actionem Dominicæ Cœnæ, secundum certos articulos fidei, nullibi quàm in cœlo, ad dexteram Patris esse creditur, propter verba & ritum Cœnæ corporaliter præsens adesse incipiat in pane, absque vllo è cœlis aduentu.

Isti igitur, qui ex verbis Cœnæ superiorem illationem faciunt.

faciunt, quam τὸ ῥητὸν, seu directus verborum sensus non suppeditat, talia præsuppositа, quibus ista illatio nititur, aliunde ex scriptura, & articulorum fidei analogia proba re prius oportebit, quàm corporalis præsentia Christi, ex istiusmodi illatione admittatur. Alioqui ista præsuppositа ex verbis Cœnæ probare velle, nihil est aliud, quàm vitiosam Principij petitionem committere.

Quod etsi satis intelligat, callidè tamẽ, pro suo more & ingenio, dissimulat Kẽnitius, qui statũ quæstionis ita frequenter ponit, vt hoc sibi pro certo sumat, quod ex verbis Cœnæ principaliter est in cõtrouersia. Ait enim: *Quòd si verba Testamẽti, quibus de pane, qui in cœna Dominica adest, exhibetur, & sumitur, à Christo dicitur, & affirmatur: Hoc est corpus meũ: absque tropis, in simplici, propria, natiua, & genuina significatione relinquantur, ex se gignunt, & præbent sententiam, de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna: quod etiam ne ipsi quidẽ Aduersarij negare vel audent, vel possunt. ideò enim ad tropos ipsi confugiunt, negaturi hanc præsentiam.* In recognitione de duabus naturis Christi. fol. 450.

Hoc modo Kemnitius homines non docet sed decipit.

In hac Aristarchi istius magistrali definitione, tria sunt animaduersione digna. Primò, Quod de pane à Christo dictum esse concedit: *Hoc est corpus meum.* Id enim etsi verum sit, negat tamẽ audactet, & Caluinianum esse contendit Iacobus Andreas, Bergẽsium Patrum primas: *Quærebant, inquit, Heidelbergẽses Theologi ex nostris, an non pro iisdem omnino propositionibus, seu locutionibus habẽdas esse putaremus has duas: Hoc est corpus meum: Et, Panis est corpus Christi: Ad quod nostri scitè, & cogitanter respondérunt, se non pro iisdem sed longè diuersis, & dissimilibus habere.* Et post: *Neque debuimus, neque potuimus istis Theologis concedere, per pronomen, Hoc, panem tantùm significari, neque easdem, seu æquipollẽtes propositiones esse, Hoc est corpus meum: & Panis est corpus Christi: quæplurimum, quod ad phrasin & sermonis proprietatem, & perspicuitatem attinet,* In Epitome colloquii Maulbrunnensis, fol. 45.

fol. 69. Vide Orthod. Cõsens. fol. 142.

inter se differunt: quare responsione omne fundamẽtum aduersariorum corruebat. Item: *Propter articulum τὸ, Prædicatũ, id est, corpus, non simpliciter prædicatur de subiecto, sed subiectũ dicitur esse ipsum prædicatum.* Item: *Christus & Apostoli non ita fuerunt locuti: Hic panis est corpus meum, vt idololatricã panis transsubstantiationem excluderent.* Item: *Negamus, vocabulum τοῦτο significare visibilem, naturalem, & fractum panem, quem Christus corpus suum esse dixerit: sed secundum omnium linguarum consuetudinem duo res hoc vocabulo comprehensa significantur, sicut cùm dicimus, Hoc est vinum, hoc est pecunia.*

Thesi Tubingensi 58.

In Protocollo Heidelbergen.

Quod si hæc etiam est libri Bergensis sententia, secũmet ipse dissentit Kemnitius: sin minus, cur ad præcauendum hunc Iacobi Andreæ Sacramentarium errorem, in libro Bergensi non est, vt fieri oportuit, condemnatus?

Secundò non rectè, sed falsò sentit Kemnitius, verba dominicæ Cœnæ in sua propria, simplici, & natiua significatione ex se gignere & præbere sentẽtiam, de corporali præsentia corporis Christi in pane. Verba enim Cœnæ, in suo proprio, & directo sensu non aliud cõtinent, quàm quid panis à Christo fractus in hac institutionis suæ ordinatione sit, & non quid corporali in eo præsentia realiter præsens sit. Vbi autẽ didicit, aut vnde probabit Kẽnitius, has propositiones esse æquipollentes, vel cõuertibiles? Hic panis est corpus meũ, Ergo corpus meum hîc est realiter præsẽs in pane. Hoc quia nõ sequi, nec cõcedi posse vidit Iacobus Andreas, sic iterũ à suo Kemnitio dissentiens, in Maulbrunẽsi colloquio Heidelbergẽsibus respõdet: *Sicut diuersa loquutiones sunt: Hoc est vinum, & Cantharus est vinum: quia prior locutio non desiderat explicationem, altera autem est falsa, nisi commoda illi detur interpretatio: sic etiã dissimiles locutiones sunt, cùm Christus ait: Hoc est corpus meũ, & cùm dicit: Panis est corpus Christi. Altera enim clara est, altera verò & posterior eget explicatione. Proinde perseueram⁹ adhuc*

Vide Orthod. consens. cap. 6.

Protocollo Heidelbergensi fol. 110, & 117.

Hæc est Mystica Vbiquistarũ Theologia.

diffe-

differentes has esse locutiones, quæ non eundem ex se sensum gignunt. Quod si in hac locutione: Hîc panis est corpus Christi: omnia propriè intelligi, & in singulis eius partibus simplex, & natiua significatio retineri potest, cur dicit Iacobus Andreas, hanc non minus explicationem desiderare, quàm istam, Cantharus est vinum? Sed neque Kemnitio, quod is pro certo sumit, concessuri sunt vnquam Pontificij, & Iesuitæ, qui propterea quòd in ista locutione manifesta sit contradictio subiecti & prædicati, velut rerum inter se disparatarum, impossibilem eam esse, ideóque ad figuram alicuius tropi in ea explicanda confugiendum esse, ingenuè & apertè fatentur. Sic enim in Moguntinensi disputatione sua definiunt Iesuitæ: *Qui panem in Eucharistia retinere vult, simplicem, verum, propriũ, genuinumq; sensum, secundùm vsitatam ipsorum in scriptura significationem, exclusis omnibus tropis, defendere non potest.* Quod cùm ignorare non possit Kemnitius, sciscitari ab eo libet, cur solos Caluinistas veritatem verborum Dominicæ Cœnæ negare clamitet? eò, quòd in hac locutione: Panis est corpus Christi, simplicem, proprium, & natiuũ verborum sensum nec possint, nec velint agnoscere: cùm hoc ante quingentos annos constanter fuerit à Lanfranco, Guitmundo, Rogerio, Algero, & aliis Pontificiæ Trãsfubstantiationis autoribus, ipsisque etiam Scholasticis Theologis, pertinacissimè pernegatum. Certè Thomas Aquinas, vt infra dicetur, scribere & affirmare nõ est veritus, *Verba Christi nõ esse vera de corporali præsentia, si per pronomen, Hoc, demonstretur substantia panis.*

Vide Orthodo. Consens. cap. 7. fol. 144.

Tertiò: Proinde falsum est illud, quod pro vero & concesso sumit Kemnitius, Aduersarios in intelligendis Dominicæ Cœnę verbis ideo confugere ad tropos, quòd negare non possint, propria, & simplici eorum significatione contineri certam de præsentia corporis Christi in

Augustin. de Catechisan. rudib. ca. 26. Vide Orthodo. Consens. fol. 145.

pane sententiam. Causa enim, cur tropum admittendum esse velint Orthodoxi, tum hæc est, quòd verba Cœnæ verba Mysterij sint, & quòd alius sit in scriptura mysticus, alius verò literalis sensus. Hinc rectè Paschasius: *Mysterium est, Ergo figura.* Item: *Verba mysterij sunt, Ergo tropica locutio.* Tum etiam, quòd naturalis illa corporis Christi veritas, in inconfusa proprietatum differentia, & articulorũ fidei analogia, hoc ita requirat. Tum denique, quòd, vt supra dictum est, vbi contradictio est in prædicato & subiecto, necessariò tunc, relicto proprio & literali sensu, ad tropum seu figuratum sermonem sit confugiendum: quod etiam ita faciendum esse, sentiunt & probant Pontificij.

Sicut autem in constituendo controuersiæ statu, superiora ista tria malè pro veris sumit & ponit Kemnitius, ita quoque ipsum controuersiæ statum in eo non rectè constituit, cùm ita scribit: *Iam in tota hac controuersia illud agitur, An simplex, propria, & natiua illa verborum Testamenti Filij Dei sententia amplectenda, credenda, retinenda, ac sequẽda sit. An verò à simplicitate, & proprietate verborum Christi discedendum, natiua eius sententia reijcienda, & ex troporum officina alia interpretatio excogitanda sit.* Et post: *Non est itaque quæstio: An ex potentia Dei absoluta nostris argumentationibus quidquis sit colligendum de corpore Christi, sed de hac quæstione controuersia est, Cùm verba Cœnæ Dominicæ in peculiari eius institutione, in speciali promissione, in testamentaria dispositione posita & tradita, in simplici ac propria significatione gignant ac præbeant sententiam de præsentia corporis Christi in cœna, An rationes, quod sententia illa retinenda sit, An verò alia rationes, quod reijcienda sit, & à verbis Testamẽti Filij discedendum, firmiores & vrgentiores sint?*

fol. 483.

fol. 484. Ex falsa hypothesi falsus causæ status.

Hæc cùm ita scribit Kemnitius, Rhetorem agit, non Theologum. Captat enim Lectoris beneuolentiam & assensum

sensum, in hoc plausibili causæ statu. At reuera nihil aliud facit, quàm q. principiũ petit, eáq; fallacia, sub specioso isto tã plausibilis causæ prætextu, simpliciũ animos miserè decipit & seducit. Nam quod ex verbis Cœnæ in quęstione & controuersia est, hoc ipse quæstionis statum esse facit. Quæritur enim, An hæc verba: *Hoc*, id est panis, quem fregi & dedi, *est corpus meum, quod pro vobis traditur*: ex simplici, proprio, & natiuo suo sensu contineant peculiarem & specialem promissionem, in testamentaria dispositione Filij Dei, quòd is corpore suo inuisibili & impalpabili, (quale in mortem non est traditum) in pane Eucharistiæ præsens adesse, & vt ore corporaliter, tam à bonis quàm à malis, sub vel cũ pane manducari possit, se sistere, & præbere velit. Hoc vbi prius certò euicerit Kemnitius, tunc demum illum, quem fallacissimè facit, causæ statum cõstituat: nec aliquos ex Aduersariis ipsius fore puto, qui sint ei in hoc statu causæ contradicturi. At respondeat, si potest, Kemnitius Orthodoxi Consensus Auctoribus, qui hunc causæ statum in vitiosa petitione principij consistere, omnium euidentissimè simul & firmissimè demonstrarunt. Itaque si hîc Kemnitio credimus, neque ex vnione personali duarum naturarum in Christo, neque ex potentia Dei absoluta, sed ex sola speciali promissione, quam simplex & natiua Verborũ Cœnæ proprietas in se habet, pendet corporalis illa Christi in pane Eucharistiæ præsentia.

Quæstio ex verbis Cœnæ.

Ista promissio non requirit fidẽ, sed respicit bonos & malos.

fol. 161.

Diuersitas opinionum de ponẽdo causæ statu.

Verùm aliter sentiunt Iacobus Andreas & Vbiquistæ, qui cùm in verbis Cœnæ non tam præsentiam, quàm dispensationem corporis Christi iam antè & ex alia causa præsentis agnoscant, causæ statũ in totius Personæ Christi, secundum vtramque naturam, Vbiquepræsentia, ex vnione personali, ponendum esse volunt. Aliàs ex solis Dominicæ cœnę verbis fatentur nihil aduersus Zuingliasi.

Iacob. Andreas in Oratione Lipsensi, & suprà Lucas Osiander.

nos posse obtineri, propterea quod ista non sint corporis Christi præsentiæ effectiua: quò etiam, vt supra ostensum est, non obscurè, sed manifestè inclinat liber Bergēsis, qui in Maiestate humanitatis Christi, per realem diuinæ naturæ proprietatum in humanam communicationem, causæ statum ponit, & Dominicam Cœnam tantùm in testimonium & confirmationem huius Maiestatis institutam esse tradit: quod ipsum quoque sibi contrarius, cùm aliter euadere non possit, tandem probat Kemnitius. Vt autem alio fundamento nititur hæc cōmunicata hominis Christi Vbiquistarum Maiestas, & alio specialis promissio, ex proprietate, & natiua sententia verborum institutionis Dominicæ Cœnæ: Ita quoque planè diuersi sunt inter se, & nullo modo consentientes isti causæ status.

fol. 496. Maiestas vnionis causa corporalis præsentiæ.

Quin & alius longéque diuersus est causę status, quem olim contra Zuinglium & Oecolampadium scribentes Brentius & Sueuicarum Ecclesiarum ministri in Exegesi Iohannis, & in Syugrammate suo posuerunt, de quo infrà dicetur.

Cum Pontificiis autem & Scholasticis omnis in eo quæstio est, An per pronomen, *Hoc*, demonstretur substantia panis, aut aliquid aliud? Inde enim, & ex hac quæstionis definitione, aut Transsubstantiationem concedendam, aut corporalem præsentiam prorsus negandam esse volunt.

Vide Ortbodo. Cōsen. in cap. 7.

Ex qua varietate statuum causæ intelligit Kemnitius, non tantùm sibi cum Caluinistis, quos in hoc ambitionis suæ theatro præcipuè Aduersarios suos facit, sed etiam cum Pontificiis & Vbiquistis, proprióque suo libro Bergensi, super eo, quem non rectè ponit, causæ statu, litem esse & controuersiam. Proinde danda erit in posterum ipsi opera, vt firmis rationibus ex scriptura demonstret, Quomodo ab eo, quòd Christus panem corpus suum in

mortem

mortem traditum esse dixit, necessariò ex verborum proprietate, & natiua sententia sequatur, corpus Christi, per contrarias & repugnantes suæ naturæ proprietates, substantiali existentia præsens adesse in pane. Nam quod Sacramentarios, Analogiam fidei non ferre, concludere dicit, *vt τὸ ῥητὸν verborum institutionis, quod affirmat idem Corpus Christi, quod in cœlo est, simul etiam in terra in omnibus illis locis in Ecclesia præsens adesse, in quibus Cœna Dominica iuxta institutionem administratur, retineri posset*: istud per dolum & fallaciam, ad decipiendos imperitos, ab eo sic profertur. Analogia enim fidei, ex articulo de incarnatione, & immutabili corporis Christi veritate, eiúsque in cœlum ascensione, non opponitur contra τὸ ῥητὸν, propterea quòd affirmet, corpus Christi, quod in cœlo est, etiam omnibus in terra locis, vbi celebratur Eucharistia, præsens adesse. hoc enim de corporali præsentia, vt falsum, negatur: sed cùm panis propriè, & iuxta τὸ ῥητὸν, non sit, nec esse possit, ὑπαρκτικῶς, ipsum corpus Christi, neque τὸ ῥητὸν prædicati, *Quod pro vobis traditur*, admittat, vt de alio, quàm visibili, & palpabili corpore intelligatur, Analogia fidei, de corporis Christi veritate, & immutabili nobiscum homousia, eiúsque per in cœlum ascensionem absentia, opponitur huic non Orthodoxæ interpretationi, qua asseritur inuisibilis, & impalpabilis corporis Christi in pane existentia, quę sicut non est nostri corporis veritas, ita nec Christi esse potest. Et hoc est, quod Augustinus ait, *Fides instructionem desiderat, Quomodo panis sit corpus Christi*. Vult enim, vt supra est adductum, ex Analogia fidei Mysteriorum explicationem dirigendam esse ad ea, quæ apertissimè de rebus mysteriorum in scriptura traduntur, vt hac ratione Sacramenta sint signacula veritatis, & cum cognitione conueniat actio mysteriorum. Hinc itaque sic panem esse corpus Christi, ex Ana-

fol. 415. Ergo per hoc omnia alia loca excluduntur.

Sermone ad Infantes.

De vera religi. cap. 17.

logia fidei, quę est inter verbum & sacramenta (*Sunt enim* vt idem Augustinus ait, *nihil aliud corporalia quaque Sacramenta, quàm visibilia verba*) credi & intelligi debet, vt quoniam eadem est fides in verbis & signis, seu sacramentis, eadem quoque credatur corporis Christi veritas, quæ traditur in verbo, & de qua agitur in Sacramento.

Cõtra Faustum.

August. 26. tract. in Iohan.

Analogia fidei inter verbum & Sacramenta.

Ex hac vera & perpetua fidei Analogia, contra istud corporalis præsentiæ fundamentum, quod ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum*: sumtum est, hæc firmissima, & irrefutabilis demonstratio est opponenda. Quemadmodum, videlicet, verba Dominicæ Cœnæ, quibus panis à Christo fractus, & discipulis ad manducandum datus, dicitur esse corpus ipsius in mortem traditum, non mutant visibilem, & in humana specie, seu forma, assumtæ carnis in verbo subsistentiam, nec loci, quò per ascensionem abiit & recessit, situm (Nam quod verbum ad elementum accedit, per hoc non fit inuisibile corpus, sed, vt Augustinus ait, fit Sacramentum, etiam ipsum, tanquam visibile verbum) Ita quoque non dicunt, quod corpus Christi inuisibili existentia præsens sit, & contineatur in pane. Hoc enim si dicerent, & continerent verba Cœnæ, necessariò etiam assumtas in vnitatem personæ veri corporis proprietates mutari fatendum esset. Sed quemadmodum eiusmodi corporalis præsentia incompatibiliter pugnat cum inconfusa proprietatum vtriusque naturæ in Christo differentia, quam omninò per hanc præsentiam tolli, & Christum secundum vtramque naturam inuisibilem, impalpabilem, & incircumscriptum fieri est necesse: Ita etiam cum Chalcedonensis Concilij definitione, de non sublato per vnionem proprietatum in persona Christi discrimine, pugnare est concedendum, sicut hoc ab Orthodoxi Consensus Autoribus firmissimè demon-

Verba Christi non mutant assumtam corporis Christi veritatem & proprietatem.

In Prolegomenis, & cap. 5.

demonstratum videre potest Lector.

Itaque hinc veteris Ecclesiæ Orthodoxi Patres statum quæstionis, qui ex verbis Cœnæ Dominicæ existere potest, non in eo constituunt, quomodo videlicet corpus Christi essentialiter præsens adsit, & contineatur in pane, sicut eum Lutherus, cum Pontificiis consentire volens, non rectè ponit, cùm ait: *Cur non posset Christus corpus suum intra panis substantiam continere, sicut in accidentibus? Cur non corpus Christi gloriosum in omni parte substantiæ panis esse posset, sicut ignis in ferro ignito?* Sed pro vero quæstionis statu inquirendum esse volunt, *Quomodo possit, qui panis est, esse corpus Christi*. Quam quæstionem Cyprianus in sermone de Chrismate dicit non nisi sincera fide à Christo edoctos & institutos explicare posse. Cùm enim quæ mysticè dicta sunt, mystica sint, non possunt hæc promiscuè ab omnibus, sed tantùm ab iis, qui mysteriis initiati sunt, intelligi, vt Chrysostomus, & Theodoretus dicunt. Et Ambrosius huic quæstioni respondens non dicit, panem esse corpus Christi, secundum literam, substantialiter, sed consecratione, per quam ipsum panem, & non aliud quiddam inuisibiliter sub pane latens, & contentum, corpus Christi esse vult intelligi, mystico videlicet, & spirituali, solisque initiatis & fidelibus noto essendi modo.

Status quæstionis ex verbis Cœnæ non est de reali existentia corporis in pane.

De Captiuitate Babylonica.

Lutherus putat hęc etiam à Turcis, & Iudęis intelligi.

Augustinus, cùm infantes instituturus quæreret, Quomodo panis sit corpus Christi? causam quæstionis, vt quæ non in literali verborum sensu sita, sed ad cuius intelligentiam fidei institutio necessaria sit, hanc facit: Nempe, quod corpus Christi non ex pane factum, sed ex virgine assumtum sit, & quod hoc corpus in cœlum ascenderit, ibique nunc ad dexteram Patris sedeat. Inde enim cogitationes oboriri & quæri posse: *Dominus noster Iesus Christus nonne carnem*

In sermo. ad infan.

Verba Cœnæ secundum fidei institutionem sunt intelligenda. Ergo non literaliter, nec ipsa per se continent nouum articulum fidei.

ex virgine sumsit? & in cruce mactatus est, sepultus, tertia die resurrexit, & quo die in cœlum ascendere voluit, illuc leuauit corpus suum, inde venturus ad iudicium, ibi modo est sedens ad dexteram Patris. Quomodo ergo panis est corpus eius?

Quæstio ex Analogia articulorū fidei.

Quod si panem esse corpus Christi, in proprio & literali sensu, nō repugnat istis articulis fidei, quibus ex Orthodoxo veteris Ecclesiæ sensu corporalis ipsius absentia insinuari intelligitur, neque ad hosce articulos, secundum perpetuam fidei analogiam, dirigenda est verborum Dominicæ Cœnæ interpretatio, frustra eiusmodi ab illis existeret cogitationis dubitatio, & fieret quæstio. Respondet autem Augustinus, pro instruenda infantium fide, non ex peculiari quodam articulo, de corporali præsentia corporis in pane, sed ex generali ratione & natura omnium sacramētorum, in quibus alia sunt sensuum, alia intelligentiæ fidei obiecta. *Ista enim*, inquit, *Fratres ideo Sacramenta dicuntur, quia in illis aliud videtur, aliud creditur, & intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Et alibi: *In sacramentis non quid sint, sed quid ostendant, est attendendum, quia signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia*, hoc est, Sacramenta non sunt res ipsæ, quarum sunt signa, sed aliud per hoc, quod existunt, naturæ videlicet substantia (vt panis & vinum,) & aliud per hoc, quod significant, id est, mystica illa rerum significatarum repræsentatione (corpus videlicet & sanguis Christi.) Sic igitur ex hac fidei instructione Augustinus dicit panem esse corpus, sicut qui eum in mysterio manducant, cum Christo & inter se vnum corpus sunt. *Ideo enim*, inquit, *commendauit nobis in hoc sacramento corpus & sanguinem suum, quod etiam fecit nos ipsos: nam & nos corpus eius facti sumus, & propter misericordiam eius*

Responsio ex natura Sacramentorum.

Ad Maximinū.

Paul. 1. Cor. 10.

Cap. commendauit de conte. dist. 2.

eius, quod accepimus, nos sumus. Item alibi: *Sacramentum hoc nobis ideo datum est, vt corpus in terris, capiti, quod est in cœlis, coadunetur.* Itaque quia propter corporalem in pane præsentiam & manducationem, corporis Christi Sacramentum non est datum, neque etiam verba Cœnæ de hac corporali præsentia sunt intelligenda. Serm. 26. ad Fratres in heremo.

Thomas Aquinas, & omnis cum eo Pontificiorum Schola ingenuè fatetur, si panis in Eucharistia manere statuatur, & de manente panis substantia dictum intelligatur: Hoc est corpus meum: nullam tunc inde corporalem præsentiam in Sacramento inferri posse. *Verba*, inquit, *Hoc est corpus meum, non sunt vera, si substantia panis ibi remanere dicatur: numquam enim substantia panis est corpus Christi. Sed tunc potius dicendum esset: Hic est corpus meum.* Item: *Non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum.* Et Iohannes Scotus: *Panis non est, nec esse potest ipsum corpus Christi.* Neque ab his dissentiunt nostri temporis Iesuitæ, qui in solemni disputatione illa sua Moguntinensi statuere non verentur, *per nullam potentiam fieri posse, vt panis sit propriè & substantialiter corpus Christi.* Itaque si de pane dicatur, *Hoc est corpus meum*: necessariò tunc relicta corporali præsentia, tropum in verbis Christi esse admittendum. Non enim aliter, quàm sublata panis substantia, corporalem in Sacramento præsentiam ex verbis Christi inferri, & retineri posse. Proinde sic isti contra Lutherum diserte pronuntiant: *Sicut hæc propositio: Panis est corpus Christi: verborum proprietate falsa & impossibilis est, ita quoque ista expositio: In pane realiter adest seu existit corpus Christi: pro impia & sacrilega impanatione est execranda.* Parti. 3. quæ. 75. art. 2. & 3. Scotus & Maioris lib. 4. dist. 11. Propositi. 287. cũ sequ. Sic Pontificij cũ Lutheranis consentiunt.

Hæc autem quia ante multa secula à Pontificiis in hunc modum sunt definita, & adhuc hodiè constanter

Nota contra nostri temporis calumniatores.

defenduntur, qua fide & constantia se Deo & Ecclesiæ à calumnia excusabunt isti Theologi, qui in aliis hoc tanquam Zuinglianum & Caluinianum adeò virulenta cum maledicentia, & cruento persecutionis consilio oppugnant & insectantur, quæ ipsimet Pontificij, ex hypothesi, de manente panis substantia, (quam illi quidem negant, sed Lutherani Theologi concedunt) vera & Catholica esse, ingenua & aperta confessione testantur? Cur quæso hæc in Pontificiis, quos sibi tamen hac parte magis quàm Caluinistas, vt eos vocant, Aduersarios habent, non oppugnant, sed potius sub specie cuiusdam Consensus communem & publicam cum ipsis tantùm pacem habere, & colere volunt? An quia fortè hîc subest mysterium Regni Dei Maozim, in quo stabiliendo & tuendo mutuas operas tradunt?

Selneccer⁹ vult videri cum Pontificiis consentire.

At hîc excipiunt seu obiiciunt Patres Bergenses, Nisi verba Dominicæ Cœnæ de corporali præsentia intelligantur, nullam tum in Cœna veram & realem corporis Christi manducationem esse seu fieri posse.

Obiectio.

Verùm, quid hoc est aliud, quàm omnipotentiæ diuinæ leges ponere, & in impium illud Capernaitarum *Quomodo* impingere? Quod vt rectè intelligatur, scien-

Triplex Quomodo.

dum est, Triplex esse in hac controuersia *Quomodo*. Primum est Dogmaticum. Nam quia de pane, quem accepit, fregit, dedirque Christus, affirmat: Hoc est corpus meum: recte & apposite hinc ex rerum disparatissimarum natura quærunt Patres, Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi? quod tanquam mysticè dictum, ex recta fidei instructione, iuxta articulorum ipsius analogiam intelligi volunt, vt ex Augustino est explicatum. Et huc pertinet Damasceni responsio: *Quæris, quomodo panis sit corpus Christi? Ego tibi respondeo: Spiritus sanctus*

1 Dogmaticũ.

lib. 4. cap. 14.

sanctus hæc operatur, super naturam & intelligentiam, quæ non potest capere nisi sola fides. Panis & vinum assumuntur, propter humanam infirmitatem, vt per assueta, & quæ sunt secundum naturam, fiant, & efficiantur ea, quæ sunt super naturam. Proinde cum omni timore, conscientia pura, & fide indubitata accedamus, & omnino nobis fiet, sicut credimus.

Ista nō pertinēt ad Impios.

Et sic olim, nōdum in contentionem abreptus Luthetus, *Sacramenta nihil aliud sunt*, inquit, *quàm signa, quæ fidem confirmant, quæq; nos ad credendum inuitant, & sine fide nihil prosunt. Proinde sic veneranda sunt Sacramenta, vt credamus vera esse, atque etiam nobis donari omnia illa, quæ per Sacramentum significantur: vt cum Maria dicere possimus, Fiat mihi secundum verba & signa tua. Tantum enim accipies, quantum credes.*

In Sermone de Morte. & præparatione ad Eucharistiam.

Alterum *Quomodo*, est Capernaiticum, quo quærendo dubitatur, Quomodo nobis possit Christus carnem suam ad manducandum dare. Ex horum numero sunt, qui non minus impiè, quàm ipsi Capernaitæ, quærunt: Si corpus Christi per ascensionem tantùm est in Cœlo, & non etiam realiter est vel existit in pane, Quomodo tunc nobis in Cœna ad manducandum dari potest? Quod perinde est, ac si quis flagitiosè quærat, Quomodo possent corpus & sanguis Christi, absque reali seu corporali ipsorum in pane & vino præsentia, verè cibus & potus fidelium ad vitam esse? Est autem simplex & pia Chrysostomi responsio: *Carnale est*, inquit, *dubitare, Quomodo possit nobis Christus carnem suam ad manducandum dare. Quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter, vt res dicuntur, nec aliud quippiam cogitare. Non enim ita iudicanda sunt, quæ videntur, mysteria: sed hæc omnia interioribus oculis, hoc est spiritualiter, sunt considerandæ.* Quæ sic in Chrysostomo & Cyrillo

II. Capernaiticum Quomodo.

Kemnitius in cēsura Vviteberg. Catechis.

Homil. 46. in Iohannem.

Carnalis Mysteriorum intellectus.

Ioan. 6. interpretatus est Theophylactus: *Oportet in sumtionibus diuinorum mysteriorum indubitatam retinere fidem, & non quærere, Quomodo? seu quo pacto? Animalis enim homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas, & animales, non est capax eorum, quæ supra naturam sunt, & spiritualium, atque ita spiritualem carnis Christi esum non intelligit, cuius qui capaces non sunt, non erunt vita æterna participes, eò, quòd non susceperunt Iesum, qui est vita æterna.* Et Hieronymus ait: *Caro & sanguis Christi sunt cibus, & potus, iuxta ἀναγωγὴν, quo non solum vescimur, & potamur in mysterio, sed etiam in scripturarum lectione.* Augustinus sic Christum Capernaitis ad ipsorum Quomodo respondentem, eósque instruentem introducit: *Ipse autem instruxit eos, dicens: Caro non prodest quicquam, verba quæ ego sum vobis locutus, sunt Spiritus & vita. Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent,* (externa videlicet, & corporali manducatione, sicut hoc intelligebant Capernaitæ) *Sacramentum aliquod commendaui vobis: Spiritualiter intellectum, viuificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter & spiritualiter intelligi.* Hinc igitur, quoniam manducatio carnis Christi in Mysteriis spirituali sensu, quo viuificat, est intelligenda, verè Capernaiticum est, quærere: Quomodo absque corporali præsentia, quæ certè non est in spirituali isto intellectu, quo Sacramentum viuificat, sita, caro Christi possit manducari? *Intellectus enim Spiritualis*, vt Augustinus ait, *credentem saluum facit.* Ergo quicunque absque spirituali intellectu, quo Sacramentum viuificat, & qui credentem saluum facit, carnem Christi corporaliter in mysteriis manducare se posse sentiunt,

Spiritualis est carnis Christi esus in mysteriis. In Ecclesiast.

Psalm. 91.

Manducatio carnis Christi in mysteriis spiritualiter est intelligenda.

Spiritualis intellectus viuificat.

Psalm. 33.

lib. 3. de Doctri. Christiana.

ex

ex hac explicatione Augustini sunt Capernaitæ. Quin & facinus atque flagitium ab iis committi ait, qui manducationem carnis Christi secundum literam, & non figurata locutione intelligunt. Quò pertinent istæ sententiæ Augustini: *Hoc est manducare cibum, qui non perit, sed permanet ad vitam, credere in eum: vt quid paras dentes, & ventrem? crede & manducasti.* Item: *Credere in eum, hoc est manducare panem viuum. Qui credit manducat, inuisibiliter* (hoc est spiritualiter) *saginatur, quia inuisibiliter renascitur. Infans intus est, nouus intus est: vbi nouellatur, ibi saginatur.* Item: *Hic est panis, qui de cœlo descendit, vt, si quis ex eo manducauerit, non moriatur: sed qui pertinet ad virtutem Sacramenti, nō qui pertinet ad visibile Sacramentum. Qui mãducat intus & in corde, non qui manducat foris, & premit dente.* Quasi diceret, visibile Sacramentum tantùm foris & dente manducatur, Panis autem viuus de cœlo, Christus, non foris & dente, seu, vt alibi ait, visibiliter & carnaliter, sicut ipsũ Sacramentum, sed intus, & in corde sumentium manducatur. Item: *Nolite parare fauces, sed cor, inde cõmendatur nobis ista Cœna.* Item: *Si laudaretur tibi magnus & eximius cibus, quem pransurus esses, parares ventrẽ. Laudatur tibi Christus, para mentem. Non enim ventris, sed mentis est cibus iste.* Item: *Panis est cordis, intus esuri, intus siti.*

Trac. 25. & 26 in Ioannem.

Serm. 33. de verbis Domini.

Psalm. 103.

Tertium *Quomodo*, est ἄδοξον, seu inopinabile, quo quæritur, quomodo verum corpus Christi reali præsentia sit vel existat in pane. Cùm enim ex proprio & directo verborum Christi sensu, quo panis corpus ipsius esse dicitur, liquidò & certò, vt supra est admonitum, non constet, An corpus Christi realiter existat in pane (quod etiam à quingentis annis tota Pontificiorum negat Ecclesia) frustra planè, & ἀδόξως quæritur, Quomodo corpus Christi sit in pane: hoc est, an Circũscriptiuo, an Definitiuo, an Repletiuo essendi modo. Quod si aliquando Patres corpus Christi in

Ἄδοξον Quomodo.

Huc pertinet Lutheri quartũ fundamentum.

pane esse dicant, non proprium per hoc modũ in corpore Christi, quasi hoc inuisibile, & impalpabile fiat, fingũt, sed pro natura & ratione veri corporis, modum essendi in mysterio talem esse intelligunt, sicut corpus Christi in eo est commendatum. Sic Augustinus in sermone ad Infantes: *Corpus Christi si vis intelligere, audi Apostolum dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi & membra. Si ergo vos estis corpus Christi & membra, Mysterium vestrum in mensa positũ est. Mysterium Dei accipitis, & ad id quod estis, Amen respondetis. Audis ergo corpus Christi, & respondes Amen. Esto membrum Corporis Christi, & verum sit Amen tuum. Quare ergo in pane? Nihil hîc de nostro asseramus. Ipsum iterum Apostolum audiamus: Cùm ergo de isto Sacramento loqueretur, ait: Vnus panis, vnum corpus multi sumus.* Et post: *Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit, qui sicut ex multis granis efficitur, & vinum ex multis vuis in vnitatem liquoris confunditur: Ita Dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis, & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit.* Et post: *Iam tanquam ad Christi calicem veniſtis, & ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscũ vos estis.*

Bonauent. & Scholast. lib. 4. qu. 10.

Cap. qui passus de conse. dist. 2.

A mysterio corporis Ecclesiæ fidelium, ad mysterium corporis Christi naturalis.

In pane, vt in significante mysterio.

Sic corpus est in pane, sicut fideles sunt in mẽsa.

Quibus Augustinus, sic corpus & sanguinem Christi in pane & vino, non naturaliter, seu per substantialẽ existentiam, sed in mysterio esse intelligit, sicut fideles inuicem in calice & mensa sunt, quoniã videlicet hæc in pane & vino, velut in sacro & significãte mysterio, diuinitus sunt commẽdata. Hinc illud: *Estote quod videtis, & accipite quod estis:* hoc est, Estote vnus Panis, & vnum corpus, sicut hunc panem mysterij (qui ex veteris Ecclesiæ more Patenæ impositus, & obuolutus coram populo eleuabatur) vnum esse videtis: Et accipite corpus Christi, quod vos estis. Sic itaq; ex hac Augustini sententia & explicatione corpus Christi est, & accipitur in pane, sicut vnitas corporis Christi fidelium in pane est, & percipitur, & sicut eodem modo res in-

Hinc Patena, Corporale, & Eleuatio.

Tracta. 26. in Ioan.

signis,

signis & verbis esse dicuntur.

Ambrosius, cùm ait, *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi:* statim subdit: *Non ergo corporalis est esca, sed spiritualis:* quæ sic interpretatur Bertramus: *Nihil igitur hîc corporaliter, sed spiritualiter est sentiendum. Corpus Christi est, sed nõ corporaliter, & sanguis Christi est, sed nõ corporaliter.* Et pòst: *Iste namq; panis & potus non secundum quod vidẽtur, corpus & sanguis Christi existunt, sed secundum quod spiritualiter vitæ substantiam subministrãt, dum non attenditur, quod corpus pascit, quod dente premitur, quod per partes cõminuitur, sed quod in fide spiritualiter accipitur.*

Christus est in Sacramẽto, sicut panis est Sacramentum corporis Christi.

Atque ex his intelligi potest, præsentiã corporis & sanguinis Christi in mysteriis, non esse per modũ substãtialis existẽtię rerũ in Symbolis seu signis, qua proprietates veri corporis tolli & mutari oporteat, sed pro ratione spiritualis mysterij intelligendã, quatenus videlicet ex ordinatione Dei, externis & visibilibus signis, res interne & spiritualia dona, in verbo gratiæ & promissionis, offeruntur & dispensantur. Sic enim Dionysius panem & vinum vocat *Venerabilia signa, seu Symbola, in quibus Christus signatur & summitur.* Et Paschasius de hac spirituali præsentia & exhibitione rerũ in mysteriis rectè ex veteris Ecclesiæ mẽte scribit: *Nihil in hoc mysterio deest, interius verè credentibus promissæ veritatis, dum virtus Christi interius totum præstat ex mysterio, quicquid Euangelium promittit ex veritatis oraculo. Sacramenta enim hoc interius sunt in veritate, quod exterius esse credũtur, virtute fidei.* Et hoc est, quod supra Damascenus ait, *Accedamus cum timore, & conscientia pura, & fide indubitata & omnino nobis fiet, sicut credimus.*

Qualis sit præsentia in mysteriis. Vide Orthodo. consens. cap. 6.

Cap. 3. de Ecclesiasti. Hierarch.

In libro de corpore Dominiqui citatur in decretis Rom. pontif.

Cæterum vt ad superiorem obiectionem, seu exceptionem reuertamur, ista hoc firmissimo argumento, ab instãtia sumto, refutatur.

Corpus & sanguis Christi, sicut pro mũdi vita data verè

sunt cibus & potus ad vitã, mãducari & bibi verè possunt, iuxta doctrinam Christi Iohannis sexto.

Vide Orthodo. consens. fol. 22. & 165.

At talis vera corporis & sanguinis Christi communicatio nullã requirit corporalem in pane & vino præsentiam, nec oralem ipsorum perceptionẽ. Imò hanc ipsemet Christus per ascensionem suam in cœlum refutat, & excludit, inquiens: *Hoc vos scandalizat*, quod videlicet de manducatione carnis meæ sum locutus? *Quid igitur, si videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* quod sic contra corporalem carnis Christi præsentiam explicant Athanasius, Augustinus & Theophylactus.

Recentes Capernaitæ.

Ergo vera & realis corporis & sanguinis Christi communicatio fieri, & percipi à fidelibus potest, absque vlla corporalis in pane & vino præsentiæ, & oralis perceptionis necessitate. Et Capernaitæ sunt, qui quærũt, Quomodo absque hac corporali præsentia & manducatione Christus nobis possit corpus suum ad manducãdum dare? ac ideo quoties veræ manducationis corporis Christi in Cœna mentionem fieri audiunt, aut hoc, Capernaitarum errorem, in carnaliter, & secundum literam intelligendis ijs, quæ mysticè & spiritualiter dicta sunt, sequẽtes, de corporali præsentia & manducatione intel ligi oportere, aut alîâs verum esse non posse sentiunt.

Vide Orthodo. consens. cap. 1.

Aug. lib. 3. de doctri. Christi. cap. 16. de Catechis. rudi.

Maiorem & Minorem huius argumenti probãt omnes Orthodoxi in Ecclesia Patres, qui neque aliã in Dominicę Cœnæ mysterio veri corporis & sanguinis Christi cõmunicationem, quàm qualis apud Ioan. cap. 6. cõmendatur, agnoscũt, neq; hãc aliter, quàm fide, & spiritualiter fieri, ac proinde etiã mysticè, & figurata locutione intelligendam esse tradunt: quod sic eleganter & rectè explicat Paschasius: *Spiritus Sanctus*, ait, *qui est pignus Ecclesiæ, omnia hæc Sacramentorum mystica arcanè, sub rerum visibilium tegumento, ad salutem fidelium operatur. Ex illo enim per aquam in Baptismo regene-*

regeneramur, & virtute ipsius, Christi corpore quotidie pascimur, & sanguine potamur, quamuis nec visu exterius, nec gustu saporis comprehendantur, sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu pro certo, sicut prædixit Veritas: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, plenissimè sumuntur. Item: *Vera Christi caro vera fide creditur, & spirituali intelligentia degustatur. Etsi enim colorem & saporem carnis minimè præbet hoc mysterium, virtus tamen fidei & intelligentiæ, quæ nihil de Christo dubitat, totum illud spiritualiter sapit, & degustat. Hoc igitur mysterium dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam tuam, & percipe, nō quantum dente premitur, & exhibet mica, sed quantum capit fides.*

Ad sententiam Damascen.

Spiritualia dona quomodo rebus sensibilibus sumantur.

Vera Christi caro atque corporali præsentia verè manducari potest.

Sicut itaque ex vniuersali totius Ecclesiæ consensu non alia corporis Christi in mysterio Dominicæ Cœnæ commendata communicatio est, quàm qualem se Christus nobis daturum sua apud Iohannem concione promisit, propter quod Augustinus visibilem Sacramenti celebrationē, inuisibiliter & spiritualiter, ex hac Concione intelligendā esse vult. Et Cyprianus hanc spirituale documentum esse dicit, ad intelligenda mystica Cœnæ verba. Ita quoque ad asserendam veram corporis Christi in Cœna māducationem, nulla est corporalis ipsius præsentia, nec oralis perceptio necessaria, de qua sic Augustinus: *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Nolite parare fauces, sed cor, inde commendata est nobis ista Cœna. Ecce credimus in Christum, quem fide accipimus. In accipiendo nouimus, quid cogitemus. Modicum accipimus, & in corde saginamur. Nō ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit.* Quasi diceret, Dominica Cœna non est propterea instituta, & commendata, vt panis vitæ de cœlo, Christus faucibus & ore, sed vt animo & corde comedatur. Modicum est enim illud, quod ore percipitur, sed quo corde saginamur, Christus, fide creditur & accipitur. Proinde ex his ostensum est, propter veram corporis

Verba Christi Iohan. 6. sunt Spirituale documētum, ad intelligenda verba Cœnæ.

Sermo. 37. de verbis Domini.

Nota. Cur non his potius quàm Luthero assentiremur

Christi in Cœna manducationem non esse necesse, vt verba Cœnæ de corporali præsentia & manducatione intelligantur.

Hæc autem cùm ita sint, non desinunt tamen obstrepere crudeles isti Hypocritæ, Patres Bergenses, iam pridem esse eorum, qui corporalem in pane præsentiam negant, condemnatum errorem. At quibus iudicibus? aut quo legitimo iudiciorum ordine? Aut qua iusta causæ cognitione? *Condemnatum, enim,* dicere solent, vt audio, Iureconsulti, *accipere debemus eum, qui ritè condemnatus est, vt sententia valeat.* Proferent igitur fortè Romanorum Pontificũ à quingentis annis celebrata Concilia. At istis etiam iam totus sæpenumerò damnatus est Lutheranismus. Sciant itaque & cuius momenti sit, accuratè apud se perpendant, tantò videlicet meliorem esse, etiam isto iniquo Pontificiorum præiudicio, hanc quam ipsi adeò proteruè proscindunt, & insectantur, sententiã, quòd hæc non nisi ex falso præsuppositio illo, Nẽpe, per pronomẽ, *Hoc*, in verbis Cœnæ non demõstrari panem à Christo acceptum, & datum, nec substãtiam ipsius in Eucharistia manere: prorsus præposterè sit damnata. Istam verò Bergensium Patrum siue Vbiquitatem, siue corporalem in pane præsentiam, ex hoc vero, & ab ipsismet cõcesso præsuppositio: Si videlicet panis in Eucharistia manere, & per pronomen, *Hoc*, demonstrari ponatur, pro falso, & impanato Christo esse anathematizatam.

Berengarij sententia à Pontificis ex falso præsuppositio est damnata. Vide Orthodo. Confes. fol. 107.

Lasitanus, & Guitmundus. & Iesuitæ Moguntinenses proposit. 269.

Quòd si in intelligendis Dominicæ Cœnæ verbis Orthodoxorum Patrum sententia valere debeat, eámque sequi in hac tristi & deploranda Ecclesiæ seruitute, & captiuitate, absque Bergensium Patrum inuidia & obtrectatione, licet: manifestissimè cõstat, tali sensu ab iis accepta fuisse verba Christi, ex quo nulla corporalis præsentia in pane colligi, nedum probari & introduci possit.

Cle-

Clemens, quem vulgò Romanum putāt, dicit Christum in sacra sua Cœna Apostolis suis ἀντίτυπα mysteria corporis & sanguinis sui dedisse, nósque ex instituto & ordinatione ipsius eiusmodi ἀντίτυπα, in commemorationē mortis eius, conficere. Et in orationibus liturgiæ orat pro descensu Spiritus sancti super proposita, vt ostendat panem corpus, & vinum sanguinem Christi, vt qui ea percipiunt, confirmentur in vera pietate, & in remissionem peccatorum. Lib. 7. cap. 26. & 27. Eccles. Constit. Lib. 7. cap. 7.

Iustinus Martyr Cœnam Dominicam vocat Sacrificium Eucharistiæ, in pane & poculo, quæ Christus in commemorationem corporis sui propter credentes assumti, & in memoriam sanguinis sui, cum gratiarum actione sumēda dedit & commendauit. Hæc enim sola sacra Christianos facienda accepisse, vt alimento sicco atq; humido admonerentur eorū, quæ propter ipsos Deus, Dei filius, perpessus esse narratur. & hanc sacratam per verbum alimoniam, quæ mutata, videlicet in alimentum corporis nostri, carnem nostram nutrit & sanguinem, incarnati Iesu carnem & sanguinem esse, ex Apostolorum scriptis nos didicisse. In Colloq. cum Tryphone. Alimentum siccum & humidū sacrata alimonia. Apolog. 2. pro Christi.

Clemens Alexādrinus, Vbi verbum ad Elementū accedit, dicit fieri Eucharistiā, eámque propterea cōstare temperatura verbi & Elementi, cuius qui per fidem participes fiunt, hos sanctificari corpore & anima. Lib. 2. pædago.

Origenes, Clementis Alexandrini discipulus, Panē Domini, sanctificatum per verbum & preces, hoc est, Eucharistiam, negat suapte natura sanctificare vtentem (quia videlicet non est reipsa, & per essentiam, corpus Christi, panis vitæ de cœlo, sed symbolum ipsius & typus) qui secūdùm quod materiale habet, in ventrem abit, sed iuxta precationem & sanctificationem, quæ accessit, pro modo & portione fidei prodest ei, qui ipsum non indignè Domino manducat. Homil. 15. in Matth.

Lib. 4. Tertullianus hęc verba: *Hoc est corpus meum:* idem significare interpretatur atq; : *Hæc est figura corporis mei.* Intelligit autē figuram corporis, non inuisibilis, & impalpabilis, realiter sub panis figura existentis, & latentis, sed cuius veritatem ab hac figura contra Marcionem probare voluit. Inuisibile verò & impalpabile corpus, nō magis figuram recipere, & vt verum corpus à figura panis Eucharistiæ probari posse, quàm Marcionis phantasma. Ideo inquit, *Figura autem non fuisset, nisi veritatis corpus esset. Vacua enim res, sicut est phantasma,* hoc est, quę nō est verū & solidū corpus, de quo ipsemet Christ⁹ ait, Videte & palpate, *figuram capere non posset.* Idem Tertullianus alibi, sicut hæc Dominicæ precationis verba: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* spiritualiter intelligenda esse monet, quia videlicet Christus est panis noster, de quo ipse ait: Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Ita quoque per verba: *Hoc est corpus meum:* sic panem intelligit dici corpus: *Quia corpus Christi in pane censetur,* hoc est, panis spirituali ratione corpus Christi esse intelligitur.

Vide Orthod. Consens. cap. 5.

Tale est corpus, quod Christo affingit Kemnitius.

Lib. de Oratione Dominica.

Et hæc Cyprianus, qui Tertulliani scriptis instar præceptoris vti solebat, sic explicauit. *Cùm panis,* inquit, *dicitur corpus Christi, significantia & significata iisdem nominibus censentur.* Item, *Panis qui videtur, & nomine & virtute corpus Christi censetur, & sanguis in vino intelligitur.* Qua explicatione Cyprianus dupliciter vulgato errori repugnat: Primò, quòd nō aliud inuisibile sub pane, seu specie panis existens, sed ipsum significans Sacramentū, quod videtur, corpus Christi esse & vocari dicat. Secundò, quòd illud quod videtur, non substantiali existentia, seu per essentiam, sed nomine & virtute corpus Christi esse censeatur: quia videlicet Sacramentum significans eandē habet cum re significata appellationem.

De Chrismate & Resurr. Item in Epist. contra Aquarios.

Ambrosius verba Christi: *Hoc est corpus meum,* &: *Hic est sanguis*

Lib. 2. de Mysteriis fidelium.

sanguis meus: idem valere dicit, quod veri corporis & sanguinis Sacramentum esse, atque hæc ita intelligi oportere docet, *Quia ante consecrationē alia species nominatur, post cō secrationē corpus Christi verè significatur. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis Christi nuncupatur.*

Ad Bonifacium.

Quibus consentit Augustinus: *Cùm panis*, ait, *dicitur corpus Christi, Sacramentum corporis Christi, secundùm quendam modum, est corpus Christi: quia videlicet Sacramentum tanta rei, nomine ipsius rei vocatur, sicut Baptismus dicitur esse Fides, quia est Sacramentum fidei. Propter enim similitudinem & analogiam, quam habent Sacramenta eumrebus, quarum Sacramenta sunt, nomina ipsarum rerum sortiuntur.* Item: *Cæleſtis panis ſuo modo vocatur Christi corpus, cùm revera ſit Sacramentum ipſius corporis, quod in cruce immolatum fuit.* quæ sic Glossator Decretorum est interpretatus, *Cæleſtis panis, id est cæleſte Sacramentum, quod repræſentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, ſed improprie: vnde dicitur ſuo modo, ſed non rei veritate, ſed in ſignificante myſterio, vt ſit ſenſus, Vocatur Christi corpus, id eſt, ſignificat.*

Cap. Hoc est. de Consecr. dist. 2.

Chrysostomus: *Panis per ſanctificationem Sacerdotis liberatus eſt ab appellatione panis, & dignus eſt habitus corporis Christi nomine, quamuis ſubſtantia panis in ipſo permanſerit.*

Ad Cæsarium Monachum.

Apud Theodoretū Orthodoxus hāc veteris Ecclesiæ sententiā, qua instituī solebāt myſteriis initiati, explicare, & ab Eucharistiæ myſterio veritatē corporis Christi in inconfusis naturæ ſuæ proprietatibus contra Eutychen probare & confirmare volens, *Cùm panis*, inquit, *dicitur corpus Christi, & viciſſim corpus Christi vocatur panis, quē ipſe ſe daturū promiſit, Excellens eſt, quòd Saluator noſter verū nomina cū Symbolis myſtici ſenſus locutione permutauit, hoc eſt, corpori quidē Symboli nomē dedit, Symbolo verò corporis nomen.* Itē: *Qui naturale corpus ſuū triticum & panē appellauit, is etiā viſibilia Symbola corporis & ſanguinis appellatione honorauit, nō naturā mutāns,*

Dial. 2. & 2.

Viſibile Symbolū dicit rem, non aliud ſub Symbolo.

Res de Symbolo dicitur.

ſed gratiam naturæ adȳciens. Itē: *Symbola myſtica earū rerum nomina ſuſcipiunt, quarū typus & figura ſunt. Nā Dominus accipiēs Symbolum, nō dixit, Hoc eſt Diuinitas mea: ſed, Hoc eſt corpus meum.* Beda & Rabanus, ex corporalis & ſpiritualis cibi Analogia, *Quoniā*, inquiūt, *Panis carnem confortat, & vinum ſanguinem in carne facit, ideo myſticè panis ad corpus, & vinum ad ſanguinem refertur.*

Ex hac vſitata veteris Eccleſiæ doctrina de Myſteriis, nemo, vt opinor, futurus eſt adeo inſolenter impudens, qui realē corporis in Symbolo panis exiſtentiā inferre poterit, vel audebit. Talis enim interpretatio, qua res ſigmata de ſigno ſic dici intelligitur, quia videlicet realiter in ſigno exiſtit & continetur, nullū habet in tota ſacra Scriptura exēplum. Itaq; Chryſoſtomus, ex hac recepta myſteriorū doctrina, quæ in verbis Chriſti myſticè dicta ſunt, hoc ſenſu intelligenda eſſe interpretatur. Nēpe: *Quia ſicut in Baptiſmo per aquā, qua res ſenſibilis eſt, donū illud, hoc eſt Regeneratio, & Renouatio, cōceditur, quod eſt ſpirituale & intelligibile: ſic in Myſterio Cœnæ Dominicæ, quoniā non ſimplex, & tantum incorporeus eſt homo, ſed duplex, hoc eſt, corpori coniuncta eſt anima, Ideo rebus ſenſibilibus, panē ſcilicet & vino, ſpiritualia & intelligibilia dona, corpus & ſanguis Chriſti, in verbo promiſſionis gratiæ ſingulis fidelibus diſtribuuntur ſeu diſpenſantur. Nā ſolùm enim datur, quod videtur, ſed etiā illud quod intelligitur.* Ita enim hāc in myſteriorū traditione, ex propria ipſorum fine inſtitutā corporis & ſanguinis Chriſti [illegible] & cōmunicationem, propter quam Symbolis rerū nomina imponuntur, explicās, ait: *Singulis fidelibus per hoc myſterium ſeſe cōiungit, & cōglutinat Chriſtus, & admiranda myſteria nobis propter hoc data ſunt, vt ſimus vnum cum eo corpus, caro de carne, & os de oſſibus eius:* quod de inuiſibilis & incircumſcripti corporis in pane exiſtentia, nec verum eſſe, nec intelligi vlla ratione rectè poſſet.

Homil. 84. in Matth. & Homil. 17. oper. imperfect.

Hic eſt ille, de quo tantopere tumultuantur Pſeudoluthe-rani, Caluiniſmus.

Damaſce-

Damascenus, qui similiter ex Orthodoxæ veritatis v- Lib. 4. cap. 14.
nanimi cõsensu eandem Baptismi & Dominicæ cœnæ rationem in eo facit, quòd videlicet condescendens in mysteriorum institutione humanæ fragilitati Christus, per assueta naturæ diuinitus operetur & efficiat ea quæ sunt supra naturam: *Quemadmodum*, ait, *in Baptismo, quia consuetudo est hominis aquâ lauari, & oleo vngi, Deus coniunxit aquæ & oleo gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis: Sic ad eundem modum, quia mos est hominibus panem manducare, & vinum & aquam bibere, coniunxit his diuinitatem, & fecit hæc corpus & sanguinem suum, vt per assueta, & quæ secundum naturam sunt, in ijs, quæ sunt super naturam, collocemur.* Ex quâ Damasceni explicatione & sententia, alia sunt in mysteriis, quæ naturæ consueta sunt, & naturaliter, seu κατὰ φύσιν, hoc est secundum naturam fiunt: alia verò, quæ ὑπὲρ φύσιν, & super naturam.

Analogia Sacramẽtalis, propter quam rerum nomina Symbolis imponuntur. Vide Orthodo. cõsen. Folio. 70.

At corporalis præsentia corporis & sanguinis Christi in pane & vino, eorumque corporaliter & ore facta perceptio, neque est hoc, quod in Dominicæ cœnæ mysterio secundum naturam fit, (sed sic panis & vinum, vt ipse Damascenus ait, assumuntur, propter humanam infirmitatem:) neque est, in quo super naturam collocemur. Ista enim quæ sunt supra naturam, spiritualia sunt, & secundæ hominis natiuitati accommodata dona, quæ operante in mysteriis Spiritu sancto contingunt, & non potest capere nisi sola fides, quæque conscientia pura, & fide indubitata ad mysteria accedentibus, sic fiunt & accidunt, sicut credunt. Vt igitur in supradictis Chrysostomus, rebus sensibilibus, spiritualia & intelligibilia dona, pro duplici ex corpore & anima homine, distribui ait: Sic eodem sensu dicit Damascenus, propter duplicem & compositum hominem, omnia in mysteriis esse duplicia, σωματικὰ καὶ πνευ- Lib. 4. cap. 13. & art. 7. de imaginibus.

A naturalibus, ad supernaturalia & spiritualia.

μυστικὸν, corporalia & spiritualia, atque per ea quæ secundum naturam sunt, nos in iis, quæ sunt supra naturam, collocari. Et hoc est, quod dicunt veteres: *In Sacramentis, sub rerum visibilium & corporalium tegumento, virtus Diuina, intus inuisibiliter salutem fidelium operatur & dispensat.*

Ergo corporalis præsentia & manducatio non consentit cum vera mysteriorum doctrina, & iusta verborum Dominicæ Cœnæ interpretatione.

Causa & mysterium Sacramentalis loquutionis.

Proinde quod in Sacramentalibus locutionibus mystica appellatione rerum nomina Symbolis imponuntur, causa non est ipsarum rerum substantialis in Symbolis existentia, sed quòd hac forma loquendi, res cum Symbolis, arcana gratiæ dispensatione offeruntur, & legitimè vtentibus, quibus solis Sacramenta suo proprio fine sunt instituta, distribuuntur: hoc est, propter spiritualem analogiam, promissionem & arcanam dispensationem rerum cum signis seu Symbolis, Symbola rerũ nomina sortiuntur. Sicut autem Sacramentum, suo modo: res autem Sacramenti, re vera est corpus Christi, vnde & duplex corporis Christi appellatio existit (Aliud est enim corpus Christi verum & naturale, aliud est mysticum, spirituale, & intelligibile:) Ita quoque duplex est corporis Christi manducatio, Alia Sacramentalis, alia spiritualis: Vnde Augustinus *aliud esse* dicit, *corpus Christi Sacramentotenus, aliud reuera manducare*. Sacramentotenus manducari dicitur corpus Christi, visibiliter, carnaliter, ore & dentibus, quatenus videlicet Sacramentum corporis Christi, secundum quendam modum corpus est Christi. Reuera autem manducatur corpus Christi, spiritualiter & per fidem. Hinc illud Augustini: *Tunc erit vnicuique vita corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur.*

Duplex appellatio corporis Christi. Vide Orthod. Confes. fo 1.175. & cap. 9.

Tract. 26. in Ioan.

Sermo. 2. de verbis Domini.

Item:

Item: *Qui in Christo non manet, nec in quo manet Christus, spiritualiter carnem Christi non manducat, nec sanguinem bibit, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi.*

Et sic olim ab initio controuersiæ, Iohannes Brentius, cùm contra Carolostadium, Zuinglium, & OEcolampadium se scribere & disputare videri vellet, Dominicæ Cœnæ verba, non de corporali præsentia in pane, sed ex superiore illa Chrysostomi sententia est interpretatus. Ita autẽ controuersiæ statum, quomodo panis sit corpus, cõstituit, inquiens: *Præcipuè monendus est Lector, quæ sit summa nostræ de Sacramento Cœnæ controuersiæ quæstio. Non quærimus, An panis substantia mutetur in corporis Christi substantiam: De his nugis disputant vani Papistæ. Nec quærimus, An in pane ita carnaliter corpus subsistat, sicut ratio humana corpusculum quoddam in pane imaginari solet. In hac nuguci imaginatione occupet se prudentia carnis: nos fidei, non rationis humanæ negocium tractamus. Itaque hoc solum quærimus, An pane & vino Dominicæ Cœnæ distribuantur & donentur fidei nostræ corpus & sanguis Christi? Hoc si comprobatum fuerit, manifestum deinde erit, quare panis dicatur verè corpus, & vinum verè esse sanguis, & non duntaxat significare. Et post: Nam hæc est vera Sacramẽtorum ratio, quòd non sint nuda, vana, & vacua signa, sed quòd veritatis signata per ea distribuatur. Est enim homo duplex, Internus & externus, Spiritualis & carnalis. Itaque in sacramento offertur per verbũ interno & spirituali homini, suum donum, hoc est Spirituale: Externo autem suum, hoc est, externum. Iam spiritualis homo non exsatiatur signis, sed rebus, non impletur umbris, sed veritate, proinde in sacramento exhibetur nõ solùm externo homini externum signum, sed etiã interno homini, res & veritas ipsa, pulchra scilicet dispẽsatione, vt habeat externus homo, externa cognata, hoc est, panẽ & vinum, & Spiritualis, interna sibi cõuenientia, corpus & sanguinẽ Christi, in-*

Ioannes Brentius cùm nondũ esset Vbiquista, in Exegesi in Ioannem cap. 6.

Quid ad hæc Iacobus Andreas & Vbiquista?

Status quæstionis ex vero verborum Cœnæ sensu.

Idem Chrysostomus & alij Patres.

Quomodo sacramenta non sint nuda & vacua signa. Idem Heluetij in sua declaratione ad Lutherum.

mysterio donata. Nam vt Baptismus (cuius exemplo & ratione etiam manifestum fit Sacramentum Cœnæ) duo habet, Aquam & Verbum. Corpus in Baptismo aquam sensibiliter accipit, qua lauatur: Fides, verbum, quo lauatur interius homo. Ita & Cœna Dominica duo habet, Panem & vinum, & Verbum. Corporis os accipit panem & vinum, sensu: præter enim panem & vinum aliud non sentit: Os fidei accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem: ita vt corpus habeat in Sacramento, corporalia signa: & fides, spiritualia dona, hoc est, rem ipsam & veritatem. Et pòst: *Porro cùm satis manifestum fuerit, quod corpus & sanguis Christi fidei nostræ distribuantur, per panem & vinum Cœnæ, videamus nunc, qua ratione panis dicatur esse corpus, & vinũ sanguis, non duntaxat significare, & adumbrare. Nam panem non esse corpus, quòd mutetur in corpus, vt Papistæ somniant, aut quòd in pane, imaginatione carnali, corpusculum quoddam subsistat, vt ratio humana admiratur, suprà dictum est. Restat igitur, vt ideo dicatur corpus Christi esse, quia per panem fidei nostræ distribuitur corpus. Ita & de vino dicendum erit. Ideo enim vinum sanguis est, quia per vinum fidei nostræ sanguis Christi donatur.*

Duplicis hominis duplex os: inde duplex manducatio.

Cur super hac doctrina non instituitur, aut renouatur consensus?

Quomodo panis sit corpus.

Quæ sic olim à Brentio, ex totius Sueuorũ Ecclesiæ cõsensu, contra Zuinglium & OEcolampadium constituta, cur hodie, vt Zuingliana, & Caluiniana, à sectaria Vbiquistarũ factione, in suis articulis & decretis, iure damnentur, aut nobis tandem explicent isti iniquissimi Dominatores fidei: aut manifestæ se calumniæ reos & contra desertam turpissima defectione veritatem perduelles, per ista cõuinci agnoscant & fateantur.

Nota certissimã inconstantiæ, erroris, & calũniæ testimonium.

Monẽdi sunt autẽ, vt si ingenuos se præstare velint, hãc Brẽtij, & Sueuicarũ Ecclesiarum cum Orthodoxa vetustate consentientẽ de Sacramẽtis seu mysterijs sententiã, Sacramẽtarij erroris prius conuincant, & condẽnent, quàm adeò furiosè in alijs eã, quasi extremè impiã, insectentur.

Taceo

Taceo, quod ipsemet olim Lutherus, verba Cœnę, nõ quasi corporalis in pane præsentiæ effectiua, sed vt verba promissionis & gratiæ, intelligẽda esse voluit. *In omni enim Sacramẽto*, inquit, *ineſt verbum diuinæ promiſſionis, quod requirit fidem. Itaque ſicut hoc promiſſionis verbo: Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit: baptiſato & credenti ſalus in baptiſmo offertur, & donatur: Ita quoq; in iſto promiſſionis verbo: Accipite & mãducate, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis traditur: promiſſionem hanc fidẽ acceptanti, corpus Chriſti offertur & diſtribuitur. Sic enim ſentimus, panem eſſe corpus, & vinũ ſanguinem Chriſti, quia aliud vident oculi, aliud fides verbo adiuta credit.* Adde, quod idem Lutherus Syngrãma Theologorũ Sueuiæ, & confeſſionem Vvaldẽſium præfatione ſua approbauit, & idem ſe cum ijs ſentire teſtatus eſt, quorũ tamen ſentẽtia, tanquã Vbiquitati contraria, & cũ corporali præſentia nõ cõſentanea, ſed qua hæc omnia Lutheri fundamẽta funditus deſtruuntur, hodie ab iſtis fidei Dominatoribus eſt reiecta & reprobata.

Contra Bullam Leonis anno 20. & conc. de Sacrãmen. Alta.

Verba Cœnæ ſunt verba promiſſionis & gratiæ. Ortho. conſenſ. fol. 167.

Præfatio Lutheri in Syngrãma Sueuorũ, & Confeſsionem Vvaldenſium.

Quoniam itaq; ex his varium hac parte in ſententia ſua fuiſſe apparet Lutherum, nõ poteſt in hac cauſa recipi, vt teſtis omni exceptione maior, propterea, quòd iſta teſtimonij varietate & inconſtãtia ipſe ſibi, præſertim in Polemicis ſuis ſcriptis, deroget fidem & autoritatem.

Lutherus in ſua doctrina de Cœna varius. Vide prolegomena Ortho. conſenſ.

Quin & ipſius Auguſtanæ cõfeſſionis Apologia, verba Cœnæ Domini, verba diuinæ promiſſionis, quę fidẽ requirunt, vocat. quod ſic olim Georgius Maior, Vvitebergẽſis Theologus, in ſuo libro cõtra Dominicæ Cœnæ profanationem explicauit: *Verba*, ait, *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, ſunt verba promiſſionis, quibus Chriſtus promiſit, in, vel ſub pane, ſe corpus ſuum, cũ remiſſione peccatorũ nobis ſumẽtibus, & fide promiſsionẽ acceptãtibus (ſine qua nulla Sacramẽta proſunt) traditurum. Non enim propter benedictionem, aut characterẽs adeſt Chriſtus in ſacra*

De Num. & Vſu Sacrament. Anno 49.

Hæc hodie damnantur vt Caluiniana.

Cœna, sed propter promissionem suam: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Tunc autem certum est, præsentem esse Christum, cùm iuxta ipsius institutionem, & promissionem, & præceptum populus conuenit, ad celebrandam sacrosanctam ipsius Cœnã, & memoriã. Adest enim propter vsum, qui fit iuxta ipsius mandatum, & adest volens, non tanquam magicis benedictionibus, aut characteribus coactus. Item: *Sacramenta sunt externa signa, coniuncta cum promissione, in quibus Deus sua dona & beneficia offert, & communicat. Cùm itaque verba institutionis sint verba promissionis: Ergo opus non prodest sine propria cuiusque fide promissionem accipientis.*

Vsus iuxta mandatum, de quo Paulus, Probet seipsum homo.

Quid sint Sacramenta, & quid promissio.

Est autem & hoc loco monendus Lector, quod Tertium hoc Fundamentum, si in eo corporalis in pane præsentiæ causa poni & constitui debeat: priora tunc illa duo fundamenta, vt quæ in incompatibilem cum hoc Tertio contrarietatem incurrant, penitus destrui & euerti oporteat. Nam si vera & propria corporalis præsentiæ causa est, iuxta τὸ ῥητὸν instituta corporis Christi in pane Dominicæ Cœnæ mãducatio, ante verba & actionem Cœnæ vt absens à pane sit corpus Christi, concedi est necesse. Alioqui, si iam antè corporaliter præsens sit, nõ in verbis Christi: *Hoc est corpus meum*: sed in alia causa fundamentum sitius præsentiæ ponendũ erit. Non enim habet, inquiunt Philosophi, rationem veræ causæ, qua cessante, idem tamen effectus poni & sequi potest. At ab vnione personali, & Vbiquitate dexteræ Dei, vt suprà ostensum est, sequitur, & infertur vniuersalis Vbiquepræsentia in omnibus locis & creaturis, & corpus Christi, ante omnem Dominicæ Cœnæ actionem, statuitur præsens, tam in pane, quàm etiam in communicantium ore.

Tertium Fundamẽtum destruit duo priora.

Sic Brentius, Iacobus Andreas: & Vbiquistæ.

Hic cogitate Patres Bergenses.

Aut igitur, si ab vnione personali, & Dexteræ Dei Vbiquitate pendet, & causam habet corporalis illa in pane præsentia, frustra ad eam efficiendam, pro fundamento allegantur

allegantur verba Cœnæ, nec quicquam attinet, de ipsorum proprietate accuratã disputationem instituere. Aut si ideo tãtùm veritate & efficacia suæ causæ corpus realiter est in pane, quia Christus dixit, *Hoc est corpus meũ*: falsa est illa ab vnione personali, & dexterę Dei vbiquitate facta illãtio. Sed in contrarium fateri oportebit, etiamsi in vnitate personę indiuisus Deus & homo Christus sit, qui in assumta carne collocatus est ad dexteram Patris, non tamẽ vbicũque est diuinitas eius, & quò vsque se extendit dextera, hoc est, gloria & potestas Dei, ibi etiam substantialiter prẽsentem esse humanitatem. Isto autem concesso, explicent nobis, qui nunc rerum inter Pseudolutheranos potiuntur, Vbiquistæ, quomodo analogiæ fidei consentaneum sit, quod ante verba & ritum Cœnæ sola Diuinitas, quę vbique tota est, sit in pane, ipsum autẽ corpus à pane absens ponatur. At postquã verba Cœnæ recitata fuerint, etiã tũc illic simul ad hãc diuinitatis prẽsentiã accedat realis, & substãtialis prẽsẽtia corporis Christi.

Proprietas verborum Cœnę nihil facit ad causam corporalis præsentiæ.

Difficultas inexplicabilis.

Hanc inexplicabilem contrarietatis absurditatem quia vidit & intellexit Autor Articulorum Torgensium, doctor Paulus Crellius, non sine causa vnicum tantùm corporalis præsentiæ fundamentum in solis Dominicæ Cœnæ verbis ponendũ esse, & credi debere voluit, quod etiam suscriptione sua tunc confirmauit totus Obscurorum virorũ Catalogus. Verùm D. Iacobus Andreas, qui hinc Vbiquitatis suę iugulum peti, eámque damnari sensit, retractata hac subscriptionum leuitate, quatuor illa superius recitata fundamenta, in sui dogmatis de Vbiquitate confirmationem, ab iisdem subscriptoribus (magno scilicet ipsorum constantiæ testimonio) subscribi & approbari fecit. quasi verò hæc rerum Theologicarum conditio esset, vt propter nostrum affirmare, vel negare aliquid mutaretur in re ipsa.

Inconstãtia Doctrinæ, & turpiũ subscriptionum leuitas.

Concludendum, quod si non maior doctrinæ firmitas & certitudo sit in corporali ista carnis Christi in pane existentia, seu præsentia, quàm inter se conueniant & consentiant ista fundamenta, quibus subnixa esse probatur, manifestissimum hinc vanitatis & erroris testimonium deprehendi.

Vide Orthod. Consens. fol. 133.

Nec valet istud adeo futile, & verè impostorium commentum, quo Bergenses nostri Patres, & præcipuus inter ipsos Coryphæus Kemnitius, euadere, & imperitos fallere & seducere conatur. *In probanda*, inquiunt, *& asserenda corporali præsentia, incipiendum est à verbis Dominica Cœnæ: Hoc est corpus meum. Istis enim Christus simpliciter, & planè edixit, quod corpore & sanguine suo corporaliter, realiter & verè hic in sacra sua Cœna adesse velit. Ad refutandas verò Caluinistarum obiectiones, de veritate, & proprietate humanæ naturæ Christi, confugiendum est ad personalem, & hypostaticam vnionem duarum naturarum in Christo.*

Nota verè impostorium commentum.

1 Respondeo: Primò ex falsa, & nondum demonstrata hypothesi ab istis præsupponi, quasi proprio, & directo verborum Dominicæ Cœnę sensu, vlla corporalis seu realis veri corporis Christi in pane existentia siue fiat, siue probetur.

Per hypostaticam vnionem proprietates humanæ naturæ saluantur. Ergo nihil ils contrarium inde colligi potest.

11 Deinde quia personalis & hypostatica duarum naturarum vnio, ex Ephesini, Chalcedonensis, & Constantinopolitani sexti concilij definitione, inde sic dicta est, quia sicut duæ diuersæ, & differentes naturæ, ita quoque duę diuersæ, & differentes earum proprietates, quibus sua propria notione naturæ cognoscuntur, in vnam hypostasin, & individuam personæ subsistentiam concurrunt, & coniunguntur, quomodo ab hoc saluo & immutabili proprietatum vtriusque naturæ, etiam in hac vnitate personæ Christi, discrimine, refutari poterit argumentum

mentum, contra corporalem in pane præsentiam? Nunquid enim per hypostaticam vnionem inferri aliquid potest, quod cum hac perpetua proprietatum differētia pugnat? aut sine quo consistere hæc hypostatica vnio non posset, nisi concessa illa corporali in pane pręsentia? quod equidem necessariò præsupponendum esset, si pro dissoluendo argumento, de proprietatibus veri corporis, confugiendum est ad vnionem hypostaticam.

III Postremò, si in asserēda corporali ista præsentia, incipiendū est à verbis Cœnę, tanquā à vera, & propria huius præsentiæ causa: quomodo contra argumētum à salua & inconfusa humanæ naturæ proprietate sumtum, defendi talis prędentia potest, ab vnione personali, per quam non magis aliqua specialis in pane Eucharistiæ, quā vniuersalis Vbique præsentia in omnibus locis & creaturis, vt supra ostensum est, eodem errore probari, & inferri potest? Nam si ante verba & ritum Cœnæ corpus Christi, ob hypostaticam personæ vnitatem, realiter in pane non existit, certè nulla adferri causa vel ratio potest, cur post verba Cœnæ propter personalem ipsius corporis cum verbo vnionem, corporaliter in pane Eucharistiæ prędens adesse oporteat. Et hoc est, quod Brētius & Iacobus Andreas disertè fatentur, nisi ab vnione personali corpus Christi iā antè in pane præsens esse ponatur, se pro veritate verborum Cœnę ne momento quidem esse pugnaturos. Et quod Lucas Osiander in Tribunitia illa sua concione magno clamore inculcat, *Si quis solis Dominicæ Cœnæ verbis niti velit, huic facilè accidere posse, vt per noctem Caluinista euadat.*

Hoc nō est prius fundamentum confirmare, sed nouum ponere.

Quo loco non est omittendum, quibus præstigiis, in excusanda hac quoquo modo plurium istorum fundamentorum, de Corporali præsentia in pane, pugnantia & contrarietate, vsi sint Patres Bergenses.

Cùm enim aliquot Principum Augustanæ Confessionis Theologi, in Bergensis Concordiæ libro seu formula inter alia etiam illud notãdum esse non iniustè putarent, quod videlicet plura, cáque diuersa, corporalis istius præsentię Christi in sacra Cœna fundamẽta ponantur: Hoc cùm Patres Bergenses neque negare, neque defendere se vllo modo posse intelligerent, veteratoria quadam calliditate ad hasce præstigias, quibus caliginem se oculis dissentientium ab ipsorum doctrina offundere posse existimauerunt, confugere sunt coacti. Itaque in illa sua Tangermundensi censura, præsentiam ipsam ã distributione discernentes, vnicum se in verbis Christi fundamentum, constituens distributionem & manducationem corporis Christi, ponere & statuere dicunt: quod perinde est, ac si dicerent, plura quidem esse, ac necessariò poni corporalis istius præsentiæ fundamenta, at vnicum tantùm, quo continetur eius distributio & manducatio. Et hanc esse Patrum Bergensium astutè continuatam fraudis fallaciam, qua se monitoribus suis illudere, & iustas ipsorum repræhensiones euadere posse cogitarunt, ex scriptis Iacobi Andreæ est euidentissimum. Sic enim is enim ex hoc præsentiæ, & distributionis discrimine ait: *Quod Christi corpus in Cœna adesse dicitur, à generali illa maiestatis vbique præsentia non tam respectu sui, quàm nostri distinguendum est. Itaque in Cœna dominica non tam præsentiam, quàm dispẽsationem corporis & sanguinis Christi agnoscimus. Sunt enim verba Christi, verba dispensationis, ratione cuius vel adesse, vel abesse dicimus corpus Christi.* Quod si igitur ex hac Patrum Bergensium doctrina, verba Cœnæ non sunt corporalis præsentiæ effectiua, sed tantùm verba dispensationis. Consequens hinc est, nihil per hæc in Cœna Dominica distribui, seu dispensari, nisi quod iam ante, ex generali illa Maiestatis Vbique

Censura Tangermundensis discernit causã præsentiæ à distributione.

Thesi Tubingẽsi 15. 63. & 71.

Hic latet sensus concordiæ Bergensis. Vnio personalis est causa præsentiæ corporalis absolutæ, verba Cœnæ sunt causa præsentiæ relatiuæ.

quepræsentia, per vnionem, & modum sessionis ad Dexteram, verè præsens adest: quod sanè si rectè consideretur, nihil est aliud, quàm pro vero corpore & sanguine Christi, phantasticas istorum Præstigiatorum illusiones dispensari. Siccine docetur & defenditur veritas corporis & sanguinis Christi in Eucharistia? Et nondum hoc intelligitis ô Principes Germani, quorum nomine & autoritate hæc adeo tristis agitur fabula?

Aduerte Lector. Quia ante verba Cœnæ nihil adest nisi imaginatiua præsentia.

Denique admonendum est & illud, Quod si omnino ex verbis Dominicæ Cœnæ consequens esse, & probari debeat corporalis illa in pane præsentia, necessariò tunc verba Christi hoc sensu intelligi & explicari oportere: *Hoc*, id est, *hîc, in, cum, vel sub pane, seu specie panis, Est*, id est, *realiter & inuisibiliter præsens adest, & continetur*, *corpus meum*, supple, non quantitatiuè, non qualitatiuè, nec localiter. Hæc autem non ex veritate verbi Dei, sed ex meris humanis commentis, & subauditionibus sic dici & proferri, omnes Orthodoxi facilè intelligunt.

Falsa verborum Cœnæ intelligentia, in qua fundata est corporalis in pane præsentia.

DE QVARTO FVNDAMENTO.

IN huius Quarti fundamenti explicatione, de tribus essendi modis, dicit Lutherus, Deum plures modos alicubi essendi habere, & non tantùm localem illum modum, de quo Suermeri nugantur. Hoc quo iudicio & sensu scribat Lutherus, non satis capio. Deũ enim alicubi esse, & localem essendi modum habere, nemo vnquam rectè dixit. Multò rectius Augustinus: *Deus non est alicubi, quia quod alicubi est, loco continetur: quod autem loco continetur, corpus est.* Non igitur, quoties de modis essendi alicuius rei agitur, idem est, loqui de Deo, & de Humana natura Christi, quæ non est Deus. Quod autem plures essendi

Tota huius Quarti fundamẽti explicatio apud Lutherum plena est malè, & inconsiderantè dictis.

De Trinitate.

modos habeat Deus, non video, quomodo ex scriptura probetur. Vna est, & simplicissima Dei essentia, ac proinde etiam vnus, ipsi conueniens, simplicissimus essendi modus. Et quanuis Theologi duplicem Diuinitatis præsentiam faciunt, Generalem, quæ est secundum essentiam, & Specialem, quæ est actionis & gratiæ: Tamen vnus est, idémque secundùm essentiæ simplicitatem, vtrobique essendi modus, qui est Repletiuus, quo omnia replet, continet, sustentat, & conseruat. *Deus est*, inquiunt Scholastici, *per essentiam in omnibus, secundùm gratiam in sanctis, & per vnionem in homine Christo.*

Bonauent. lib. 3. dist. 22. & lib. 4. dist. 10.

Fatetur Lutherus, Sophistas, quorum autoritate nititur, de tribus istis essendi modis, *Circumscriptiuo*, *Definitiuo*, & *Repletiuo*, rectè sensisse & docuisse. At ego magnopere vereor, ne Sophistarum hac in re sententiam non rectè accommodet, & sequatur Lutherus. Nam quòd à principio Deum plures modos essendi habere dixit, hoc de Sophistarum triplici illo essendi modo intelligi nulla ratione potest, eò, quòd localis & definitiuus modus non conueniat Deo, sed tantùm creaturis, quarum finita natura & essentia est.

Lutherus Scholasticorum Sententiã de tribus Essendi modis non rectè accommodauit.

Porrò quod deinde Lutherus, cùm antea Deum plures essendi modos habere dixisset, hoc postea in explicatione ad vnum corpus Christi accommodat, eique simul triplicem illum essendi modum, Localem, Definitiuum, & Repletiuum, affingit, in eo non Scholasticorum Sophistarum, sed proprij sui capitis, in contentione natam, totique Christianitati ante ipsum ignotissimam sentẽtiam recensẽt & sequitur. Scholastici enim cùm de tribus istis essendi modis disputant, talem cuique rei modum assignant, qualem essentialis ipsius natura requirit, quæ non pro ratione vnius & alterius modi se variat, vt aliter secundùm hunc, & aliter secundùm alium modum se habeat,

Vnius Corporis Christi non est triplex essendi modus.

Triplex Scholasticorum essendi modus suę cuiq; rei est naturalis, & proprius. lib. 1. Sentent. dist. 37.

beat, sicut hoc non rectè præsupponit Lutherus: sed quilibet modus à cuiusque rei natura & essentia existit. Itaque Scholastici triplicem illum essendi modum non vni rei attribuunt, sed sicut omnis in vniuersum res & substantia, aut est Creator, aut Creatura, eáque aut Corpus est, aut Spiritus: Ita quoque triplicem essendi modum triplici inter se variæ & distinctæ substantiæ competere dicunt. Quorum enim Esse contrarium & diuersum est, illorum quoque contrariæ sunt & diuersæ essendi proprietates. Damasce. lib. 1. cap. 3.

Localem itaque *modum* Corporibus, abessentiali corporũ ratione, qua propriè hoc sunt, quod esse dicuntur, hoc est, ab inseparabili quantitatis dimensione tribuũr, & quidem glorioſis etiam corporibus in cœlo. Nã sicut à corpore quantitatis dimensio, qua partes habet extra partes, auferri sine ipsius destructione non potest: Ita quoque spacium, quo quantitas hæc finitur, siue in loco, siue in vacuo ponatur, pari ratione non potest ab eo, donec est & manet corpus, auferri. Et hoc est, quod Augustinus ad Dardanum, contra Vbiquitatem, de ipsomet Christi corpore, quatenus in Deo est, scribens inquit: *Spacia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, ergo nec erunt. Quantumcunque enim corpus, seu corpusculum sit, vt loci occupet spacium, eundémque sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum, necesse est. Quia cùm corpus sit aliqua substantia, quantitas eius est in magnitudine molis ipsius, in qua distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, sua quæq; spacia locorum tenent, nec est in singulis partibus tota vel tanta.* Ex quibus Principiis ad Dardanum infert Augustinus, corpus veritate substantiæ suæ in pluribus locis esse non posse. Et Ambrosius ait: *Omnis creatura certis suæ naturæ limitibus est circumscripta, nec creatura dicenda est, quæ non habet circumscriptam, de-* 1. Modus essendi Localis. Sic Augustinus in Epistola ad Dardanum, & Epist. 3. Lib. de Sp. sancto. Regula de modo essendi veri Corporis.

terminat ámque substantiam & virtutem. Hinc probè dicunt Scholastici: *Finitas & circumscriptio circa creaturam est potius complementum ipsius, & perfectio, quàm infirmitas.* Aut igitur hæc ita de Christi corpore fateri, aut hoc creaturam esse desisse oportet.

II Definitiuus essendi modus, qui proprius est Spiritib. creatis.

Definitiuum verò modum tribuunt Spiritibus creatis, & quidem in vno tantùm loco, non quòd aliqua loci dimensione Spiritualis essentia circumscribatur, sed quia creata & finita est ipsius essentia, etiam certo quodam loco (extra quem non sit) vel secundùm formam, vt anima in corpore, vel secundùm operationem, vt Angelus, definiatur. Hoc est quòd Didymus ait: *Etsi non circumscribantur loco & finibus spirituales, & inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur.*

De Spiritu sancto.

III Repletiuus essendi modus soli Deo proprius.

Repletiuum autem essendi modum vni atque soli Deo, qui nec localiter capi, nec vno tantùm loco definiri potest, sed incommunicabili proprietate essentiæ suæ immensus, & incircumscriptus est, competere, ideóque nulli prorsus creaturæ hunc modum communicabilem esse dicunt, nisi ei simul infinitæ virtutis essentia communicetur. Hinc Augustinus: *Hoc est Deum esse, quod simul vbique totum esse.* Item: *Deus est totus in cælo, totus in terra, non alternis temporibus, sed vtrumque simul, quod nulla natura corporalis potest.* Item: *Solius Trinitatis proprium est, quia non est corpus, vt vbique sit tota, per spatia locorum non diuisa.* Et Magister Sententiarum: *Sola Diuinitas essentia est illocalis & incircumscriptibilis.* Ab hac incommunicabili proprietate omnes Orthodoxi Patres probant, Filium Dei & Spiritum sanctum esse verè, & essentia Deum. *Miror*, inquit Augustinus ad Maximinum Arrianum, *quomodo Spiritum sanctum sanctificandis fidelibus vbique asseratis esse præsentem: & tamen negare audeatis Deum.* Et Didymus: *Spiritus sanctus, cùm sit in pluribus locis, non habet circumscriptam præsentiam,*

De Ciuitate Dei.

lib. 3. dist. 37.

lib. 3. cap. 6.

sicut

sicut habent vniuersa quæ facta sunt. Quòd si vbique seu in pluribus locis esse, competere potest creaturæ, per Diuinæ Maiestatis communicationem, nec firmum nec concludens est hoc Orthodoxorum Patrum, pro asserenda naturali Diuinitate Filij Dei, & Spiritus sancti, argumentum.

Hæcque est vera Scholasticorum de tribus essendi modis, tribus inter se diuersissimis rebus accommodata sententia. A qua lõgissimè abest Lutherus, qui dum vni corpori Christi simul & semel istas accommodare, & persuadere vult Aduersarios suos, secundùm istos tres modos aliter atque aliter alicubi præsens esse, seu existere corpus Christi, in manifestissimam & impossibilem incurrit contradictionem. Impossibilis est contradictio est, vni corpori tres modos essendi accommodare.

Quoniam enim Triplex ille diuersissimarum inter se rerum essendi modus est vniuscuiusque rei, cui competit, ab essentia ipsius incommunicabilis existens proprietas, non minus impossibile est, vni rei, hoc est, corpori Christi, alterius, vt Angeli, & Dei, Definitiuum, & Repletiuum essendi modum tribuere, quàm impossibile sit, Dei & Angeli naturam seu essentiam corpori Christi, vt corpori, tribui & communicari posse. Et hinc Cyrillus diuinam naturam ideo corpus esse negat, *Quia videlicet adeo sit corpori proprium, in loco, & magnitudine, seu quantitate esse, vt etiam Diuinitas, si esset corpus, nec quantitatem, & magnitudinem, nec loci circumscriptionem effugere posset.* Quid sit modus essendi. lib. de Trinitate. Vera corporis definitio, qua sublata, desinit esse corpus.

Itaque cùm corpus Christi simul triplici illo essendi modo aliter atque aliter alicubi esse dicit Lutherus, hoc ipso corpus Christi, & verum, naturale, & organicum corpus, & simul spiritum, & incorpoream naturam, denique etiam Deum esse, imprudentissima absurditate docetur. Quoniam enim omne, quod indiuiduò Vnum est, semel tantùm, & vno modo hoc est, quod esse dicitur, impossibi- Absurditas doctrinæ Lutheri.

le est, vni corpori Christi tres simul diuersos inter se incompatibiles essendi modos tribuere.

Atque hæc hactenus de tribus Essendi modis, quos vni corpori Christi, ex trium diuersissimarum rerum natura & proprietate, non rectè intellecta Scholasticorum sententia, tribuit Lutherus. Nunc quid de singulis modis mirabiliter proferat, expendamus. Secundùm localem modum essendi dicit corpus Christi hîc in terris fuisse conuersatum, quem etiam, vbi volet, rursum assumere possit, sicut hunc extremo die sit reassumturus. Verùm secundùm hunc modum non esse in Deo, neque apud Patrem in cœlo, quemadmodum hoc insanus somniat Suermerorum Spiritus: *Quia Deus*, ait, *non est locus, aut corporale loci spacium.* Vtinam verò non nimio contendendi studio, & suorum Aduersariorum pertinacissimo odio eò vsque prouectus esset, vt hæc adeo inconsideratè scriberet, Lutherus. Nam si localem essendi modum Christus post ascensionem deposuit, vt infirmitatem: quomodo hunc in glorioßissimo suo aduentu est reassumturus? Dum autem secundùm hunc modum in cœlo, & apud Patrem corpore suo negat esse Christum, sine scriptura, & contra vniuersalem totius Ecclesiæ consensum loquitur Lutherus. Nam quia Angeli dicunt: *Hic Iesus qui assumtus est à vobis, sic veniet, quemadmodũ vidistis eum euntem in cœlum:* vndé quæso constabit, Christum interea nunc in cœlo nec visibilem, nec palpabilẽ, nec corporalis præsentiæ forma & specie finitum, sicut in cœlum abire visus est, esse? Augustinus ait: *Vnus idémque Deus & Homo, Christus est vbique, per id quod Deus est: in loco autem aliquo cœli, vt homo, secundùm veri corporis modum.* Item: *Corpus, in quo resurrexit, in vno loco esse oportet.* Item, *Ego corpus Christi ita in cœlo esse credo, vt erat in terra, cùm ascenderet in cœlum, & quemadmodũ ipse Christus discipulis, de resurrectione*

Nimis hoc imprudẽter & iniuriosè Lutherus.

Sic Iacobus Andreas contra Bezam.

1. cap. Actu.

Ad Dardanum.

Epist. ad Consentium.

ne

ne ipsius dubitantibus, ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet. Hoc enim infallibili argumento veram nostri generis carnem probare voluit. Et Hieronymus: *Christus ascendit in cœlum, & sedet ad Dexteram Patris, manente ea natura, & substantia carnis, in qua natus, & passus est, & in qua resurrexit.* Idem prolixè sentit & explicat Fulgentius, & Vigilius Martyr, & contra Eutychen apud Theodoretum constanter defendit Orthodoxus. lib. 3. ad Thrasimundum.

Istud porrò, quod corpus Christi, secundùm quod locale & circumscriptum est, in Deo esse negat Lutherus, non video, quomodo rectè intelligi, aut à valde periculoso errore defendi possit. Non enim nunc aliter in Deo Verbo est, & veritate substantiæ suæ subsistit, & consustentatur corpus Christi, quàm olim, cùm ex Virgine assumtum, hîc versaretur in terra, & sicut in secundo aduentu est reuersurum. Itaque si localis essendi modus in corpore & humanitate Christi ab ea separatur, quatenus est in Deo, hoc est, vna cum Deo persona: consequens hinc erit, Christum per localem & circumscriptiuum sui corporis in hoc mundo essendi modum, sicut non fuit in Deo, ita nec vnam cum Deo personam, sed in propriæ suæ naturæ persona separatum à Deo Christum fuisse, quod voluit Nestorius: Atque sic non in Deo, sed in hominis persona totam salutis nostrę œconomiã peregit locale, & circumscriptũ Christi corpus. Denique quomodo visibilis ille, palpabilis, localis, & circũscriptus homo Christus verè dici potest Deus, & vicissim rectè dici: Hic Deus noster in terra visus est, & inter homines conuersatus: si secundùm quod locale & circumscriptum est Christi corpus, non fuit in Deo, hoc est, personaliter Deo vnitum, sed in propriæ suæ naturæ hypostasi extra personalẽ in Deo subsistentiam? Si localis homo Christus nõ est in Deo: Ergo nec est Deus.

Causa, cur hæc adeo inconsideratè scripsit Lutherus,

(quem postea discipuli ipsius secuti, in grauissimum hunc prolapsi sunt errorem, vt naturales corporis Christi proprietates tantùm ei, quatenus absolutè, & in abstracto extra vnionem consideratur, competere dicant) hæc est, quòd non cogitauit, sicut corpus, & humana Christi natura per vnionem in Deo est, ita quoque omnes in vniuersum naturales ipsius proprietates assumtas esse in vnitatem & subsistentiam personæ Verbi, propter quod etiam de Deo Verbo per communicationem Idiomatum in concreto dicuntur. *Nihil enim eorum*, inquit Damascenus, *reliquit, quæ Deus Verbum initio nos formãs, in natura nostra creauit, sed assumsit omnia, corpus, animam, & horum proprietates.* Et Nyssenus: *Qui semel Homo fieri decreuerat, huic necessariò humanæ naturæ proprietates omnes erant suscipiendæ.* Sicut igitur absque harum proprietatum assumtione vera incarnatio, ita quoque consistere non posset vera personalis vnio. Et hinc Athanasius ait: *Sicut corpus, ita etiam corporis proprietates Verbi per Oeconomiam & assumtionem sunt propriæ.*

Cyrillus: *Sic Verbum factum est caro, quia per vnionem dispensatiuam propria fecit Deus Verbum ea, quæ carnis sunt. Non enim alterius cuiusdam sunt carnis, sed eius potius, quæ inenarrabiliter ipsi est vnita. Cùm igitur idem sit simul Deus & Homo, propter hanc vnitatem personæ propria sua facit humana.*

Per hoc itaque, quod corpus Christi, vt visibile, palpabile, locale & circumscriptum, personali sua subsistentia in Deo est: *Filius Dei*, vt rectè dicit Ignatius, *cùm natura sit inuisibilis, factus est tamen visibilis in carne humana, & cùm, vt incorporea natura, tactus expers esset, propter nos tamen attingi palpariq; voluit: & qui pati nequierat, vtpote Deus, nostra causa passus est, vt homo, prorsusque nostram naturam assumsit.* Et Augustinus: *Sicut Filium Dei*

&

Vide prolegomena in Orthodoxũ cõsensum.

lib. 3. cap 6. de Orthodoxa fide

In Catechesi.

lib. Dialog.

lib. de recta fide & in Symbo. Nicæno.

De incarnatione Vnigeniti cap. 26.

Epist. 1.

De essentia Diuinitatis.

& Redemptorem nostrum secundùm Diuinitatem inuisibilem, incorporeum, & incircumscriptum non credere, impium est: Ita eundem Dei Filium, in homine assumto, visibilem, corporeum, atque localem post resurrectionem non credere & profiteri est profanum.

Censura contra Patres Bergenses.

Ex quibus nunc tandem consequitur, Quoniam Filius Dei incarnatus, & nobiscum ὁμοούσιος homo factus est, per corpus visibile, palpabile, & locale. Ergo etiam tale corpus secundùm naturales hasce proprietates perpetuò fuit, & adhuc est in Deo. Aut si hoc naturali essendi modo in Deo esse desiit, etiam Christus per hoc desiit esse incarnatus, & nobiscum homousios homo: & sic consequenter, vbicunque corpus Christi visibile & locale, hoc est, pro modo & ratione corporis physici, & organici sua forma & quantitate finitum est, ibi non in Deo, sed in propriæ suæ naturæ persona, seu hypostasi subsistens, alius à Deo Verbo Nestorianus Christus erit.

Per incarnationis veritatẽ visibilis & palpabilis homo est in Deo.

Est autem, si verum dicere licet, valde inepta, & ridicula Lutheri ratio, qua negat, corpus Christi, secundùm visibilem, & compræhensibilem essendi modum, sicut hîc in terra conuersatum, & ad iudicium reuersurum est, esse in Deo, & in cœlo, *Quia videlicet Deus non est corporalis locus*. Hinc enim inferri posse absurdissimè putat Lutherus:

Corpus & humanitas Christi per vnitatem personæ est in Deo.

Vide Orthodoxũ Consens. fol. 99. prolego.

At Deus non est corporalis locus.

Ergo Corpus & humanitas Christi secundùm visibilem, & comprahensibilem, seu localem essendi modum nõ est in Deo.

Nam etsi Deus non est locus, sicut nec Deus humanæ naturæ forma & proprietas est: Tamen per hoc non sequitur, Corpus Christi secundùm humanæ na-

turæ formam & proprietatem, hoc est, quatenus visibile, palpabile, & locale est, non esse in Deo. Aliud est enim, Deum non esse locum: Aliud verò, nihil in Deo esse, quod palpabile & locale sit. Quomodo autem Filius Dei Verbum visibilis, palpabilis, & localis homo dicitur, & Deus est passus, si assumta humana natura Christi non est in Deo, vt visibilis, palpabilis, localis & passibilis: sed proprietates hæ vnà cum isto essendi modo sunt extra vnionem, & personalem in Verbo subsistentiam? Equidem sicut Deus non est locus, ita nihil palpabile, locale, & passibile est in Deo, per naturam: At per assumtionis Oeconomiam, sicut ipsum naturale, & organicum Christi corpus est in Deo, hoc. est, personaliter in hypostasi Dei verbi subsistit & sustentatur: Ita quoque omnes veri corporis proprietates, ipsiúsque naturalis essendi modus, sunt in Deo, per assumtionem, & vnionis Oeconomiam, quia videlicet ipsius Filij Dei proprium, & non alterius cuiusdam ab eo corpus est.

Quod autem Lutherus de hoc primo essendi modo intelligendos esse dicit scripturæ locos, quos Fanatici de discessu Christi ex hoc mundo adducunt, hoc, quo sensu ab eo dictum accipi rectè possit, non satis est exactum. Nam si secundùm naturalem, & comprehensibilem essendi modum Christus ex hoc mundo discessit, & in cœlum ad Patrem profectus abiit, quomodo in præcedentibus negat Lutherus, Christum secundùm istum essendi modum non esse in cœlo, nec apud Patrem? Nisi fortè mundum relinquere, seu ex mundo discedere, & ad Patrem ire, idem esse velit Lutherus, quod visibilem, & comprehensibilem corporis modum, quasi tantùm ad tempus assumtam infirmitatem, rursus deponere, sicut hoc Iacobus Andreas interpretatur. Quod si autem

Lib. Assertio. cõtra Bezã. fol. 4.

si autem aliter sentit Lutherus, & discessum Christi ex hoc mundo per ascensionem in cælum, de visibili & comprehensibili tantùm humanitatis Christi modo sic intelligẽdum esse vult, quia videlicet nihilominus secundùm tertium illum essendi modum, quo est in Deo, & vna in Deo persona, humanitas Christi hîc in terra apud nos permanserit, & perpetuò præsens adsit: tunc vniuersali totius Orthodoxæ Ecclesiæ consensu, ex scriptura, noui & erronei dogmatis manifestissimè conuincetur.

Verùm videamus, quid Kemnitius, & quid alij authores libri Bergensis hac de re sentiant. Et Kemnitius quidem, corpus & humanitatem Christi, etiam quatenus finita, & in loco est, per vnionem in Deo esse, negare non audet. Sic enim scribit: *Humanitas Christi retinet etiam in ipsa vnione naturæ humanæ veritatem, ac physica, seu essentialia sua Idiomata, iuxta quæ verum & humanum corpus constat certa, finita, & circumscripta membrorũ συμμετρία, seu dimensione, qua certo, locali, seu finito situ & positu membrorum constans, habet partes extra partes, certo ordine.* Quod si igitur humanitas Christi, iuxta hanc veritatem, & naturales ipsius proprietates, per vnionem est assumta, quomodo verum esse, & constare potest, quod ex Luthero in libro Bergensi idem tradit Kemnitius secundùm hunc naturalem essendi modum, corpus Christi non esse in Deo, nec apud Patrem in cœlo? Lib. de duabus naturis in Christo. fol. 472. Egregius Consensus.

Itaque aliter Iacob' Andreas, qui *corpus Christi, quatenus absolutè, & seorsim per se extra modum Vnionis, consideratur, naturales suas proprietates habere & retinere, eóque modo inconfusas esse*, concedit. *Ratione verò vnionis personalis, vnam esse actionem λόγου & hominis assumti, quia per vnionem diuinitas cum assumta humanitate omnia communicat, qua habet. Non enim assumta est humanitas, vt localis, sed alia* In Assert. cõtra Bezam fol. 11. & 21. & alio lib cõtra Bezam, fol. 20. 101. & 109. Nestorianismus

est localis, alia personalis præsentiæ humanæ naturæ. Item: *Aliter consideratur humanitas Christi, in se, quatenus spiritualis & gloriosa per Resurrectionem & Ascensionem in cælum est effecta: Aliter consideratur non in se, sed quatenus est à Filio Dei in vnitatem personæ assumta.* Quæ quid aliud sibi volunt, quàm humanitatem Christi, quatenus in se, & in saluis suæ naturę proprietatibus consideratur, non considerari, vt assumtam, & vnitam? Sunt itaque extra Vnionem, & saluæ manent hoc modo tantùm humanæ naturæ proprietates, quod directò cum Chalcedonensis Synodi definitione pugnat.

Anno 16. Sic & Hamburgēses, in sua Censura ad Vvestphalum, Humanitatem Christi, quatenus absolutè extra vnionem in suis proprietatibus consideratur, fatentur non esse simul & semel in pluribus, seu omnibus locis: At per hypostaticam Vnionem, & realem idiomatum communicationem, nihil obstare dicunt quo minus humanitas vna cum diuinitate sit Vbique.

Vide Orthod. Consen. fol. 120. Idem sentit Selneccerus, qui humanā naturam Christi, quatenus absolutè, & in abstracto consideratur, vt est creatura, fatetur diuinarum proprietatum non esse capacem. At quatenus Deo hypostaticè vnita est, sicut adorandam, ita quoque omnipotentem & vbique eam esse dicit. Quod si absolutè & in abstracto humanitatē Christi considerari, opponitur hypostaticæ ipsius vnioni, consequens huic esse concedi oportet, quatenus absolutè, & in abstracto consideratur, vt creatura, in essentialibus suis proprietatibus, non esse humanitatem Christi hypostaticè Deo vnitam. Ergò & hoc considerationis modo salua naturarum proprietas ab hypostatica vnione est excluſa.

Thesibus de incarnatione. Quibus succinit Andreas Musculus: *Quū vnus & idem sit*, ait, *Christus, sicut secundùm assumentem sic & secundùm assumtam*

assumtam naturam, nullis localitatis physicæ necessitatibus est subiectus, nec locorum terminis circumscriptus. Denique Christi humanitas ab ipsa incarnatione est euecta in eam gloriam & maiestatē, vt in ea non circumscribatur loco, verumetiam terram & cælum implens, cælesti & humanæ rationi inscrutabili modo. Sic igitur secundùm hosce Neotericos Patres, humanitas Christi, quatenus in saluis naturæ suę proprietatibus, vt finita, & localis, consideratur, non est hypostaticè vnita Verbo, sed seorsim, per se, & absolutè tantùm existit. Vnde visibilem, palpabilem, & locali circumscriptione finitum Christum dicere, est ipsum in proptia sua subsistentia extra vnionem ponere. Contra quod sic habet Edictum Iustiniani: *Humana Christi natura per se absolutè nunquàm dicitur, quia nec suam subsistentiam seu personam habuit, sed in subsistentia Dei Verbi natura humana initium, vt esset, accepit.* Et Athanasius: *Hominem ipsum absque Verbo subsitisse non agnosco, sed existentiam eius in ipsa vnione Dei Verbi designo.* Ex quibus apparet quod quemadmodum humana natura, vnita Verbo, à non vnita, principaliter tantùm, & vera vnionis ratione, differt sua hypostasi, & personali subsistentia: quia non vnita, communis per se hominis: at vnita, Dei Verbi secundum hypostasin propria humana natura est: Ita quoque proprietates vnitæ differunt à non vnitis, quoniam non vnitæ, de communi homine, vt Petro & Paulo, regulariter, & vulgari prædicationis modo: vnitæ verò, de ipsomet Verbo, & Dei filio, per communicationem Idiomatum dicuntur. In hac igitur varietate & confusione opinionum inter ipsos Patres Bergenses, quid aliud de ipsorum consarcinato Corpore doctrinæ, & malè consuta Concordiæ formula, dici iure merito potest, quàm, Hæc est ista Babel?

In 5. Concil. Chalcedon.

Vera ratio vnionis. Lib. 4. dialog. de Trinit.

Humana natura vnita, quomodo differat à non vnita.

Augustinus explicans, quomodo veraque natura in vno Christo rectè agnosci & considerari debeat, de hu-

Tractat. 40. in Ioan.

manſtare ipſius, per quam Verbum caro factum eſt, ſic ait, *Quoties de forma ſerui in Chriſto cogitas, ſecundum quam paſſus eſt, Reſurrexit, Aſcendit in cœlum, & in eadem forma rediturus eſt ad iudicium, humanam effigiem cogita, ſi eſt in te fides.* Ergo ex veritate fidei nulla humanæ naturæ in Chriſto cõſideratio eſſe poteſt, abſque certa & finita membrorum quantitate & dimenſione.

Definitiuus modus non eſt ſecundùm quantitatem.

Circa ſecundum eſſendi modum, qui eſt definitiuus, dicit Lutherus, corpus Chriſti, retenta eadem quantitate, qua antea fuit, penetraſſe lapidem ſepulchri, & clauſam ianuam. *Per hunc autem modum*, inquit, *cùm ſit ſpiritualis, corpus Chriſti non occupat ſpacium, ſed per omnes creaturas, quocunque vult, penetrat, ſicut viſus & ſonus per aërem, & aquam, abſque vlla loci ſeu ſpacij occupatione, peruadit.* Hoc eſſendi modo dicit Chriſtum etiam vſum fuiſſe in pane Euchariſtiæ. Quia longè facilius ſit glorificato corpori inuadere & penetrare in panem, quàm aut humana facies in ſpeculum, aut ſonus humanæ vocis ad multorum aures peruenire poſſit. Eſſe enim glorificatum corpus his multò ſubtilius. Addit præterea, *Idem corpus Chriſti nihilominus alibi quoque ſimul locale, viſibile, & circumſcriptum eſſe poſſe.*

Ergo glorificata corpora non continentur ſpacio.

Ergo idem corpus ſimul eſt corporeum & incorporeum. Aliter Damaſcenus & Patres.

Cùm autem iſte Definitiuus eſſendi modus proprius ſit ſpiritualium & incorporearum creaturarum, neceſſe eſt, corpus Chriſti hoc ipſo incorporale, & ſpiritualis naturæ fieri, quod definitiuo ſpiritualium & incorporearum creaturarum modo alicubi eſſe dicitur. Qualis enim, vt ſæpe dictum eſt, cuiuſque rei natura & eſſentia eſt, talis etiam inde ſumptus, eique competens eſſendi modus eſt. At verò non ita de corpore ſuo, iam per reſurrectionem glorificato, ad tollendam diſcipulorum de ſpiritu ſeu ſpectro dubitationem, ſed pro confirmanda ipſius infallibili

Hoc Hieronymus damnat, cõtra Ioan. Hieroſoly. Vide Orthodo. confeſſ. cap. 6. fol. 218.

infallibili veritate, quam aliàs perimi & interire sit necesse, sic inquit Christus: *Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ideóque Scholastici glorificata corpora dicunt non amittere naturam, & proprietatem veræ carnis, nec desinere esse finita, & loco contineri, aut posse palpari: sed perfectum habere suæ naturæ modum, secundùm quem etiam Christi corpus corporaliter & localiter in cœlo esse fatentur. Itaque perfectus ille glorificatorum corporum naturæ modus, quia proprietates veræ carnis non tollit, non potest esse solis spiritualibus & incorporeis creaturis proprius, definitiuus essendi modus: Nec rectè glorificatum Christi corpus confertur cum humanæ vocis sono, & splendore solis, quod Marcionis errori vicinum est, contra quod Synodus Nicena secunda de Imaginibus ita definit: *Christum post glorificationem incircumscriptum dicere, blasphemum est. Sed quemadmodum Deus, & Verbum Dei Patris, inuisibile, incomprehensibile, & in omni loco dominationis suæ existit: Ita secundum naturam humanam, quam assumsit, visibilis, & circumscriptus est. sicut de eo Scriptura affirmat.*

Magist. Senten. lib. 4. dist. 49.

Fol. 168. Tomo Conciliorum. 3.

Falsissimum est itaque, & inexplicabile, quod Iacobus Andreas in explicatione sententiæ Lutheri, de istis tribus essendi modis, scribit: *Corpus Christi, quatenus pro natura & proprietate gloriosorum corporum & spiritualium consideratur: non vt alia Physica corpora loco seu spacio circumscribi, sed sola proprietate substantiæ finiri.*

Fol. 5. contra Bezam.

Error Iacobi Andreæ.

Ergo per modũ omnis non finitus proprietate substantiæ.

Et alibi in primo scripto contra Heidelbergenses super colloquio Maulbrunnensi, folio vndecimo; *Quod si*, inquit, *Christum consideramus, secundum statum glorificati corporis, iuxta quem ipsi conformes fiemus, hoc quidem impetrauit, quod nullo corporali loco sit circumscriptus.*

verùm ob hanc causam nondum est Vbiquepræsens, quemadmodum & nos vnà cum beatis Angelis non sumus futuri Vbiquepræsentes, & tamen corporaliter nulli loco circumscripti erimus.

Addeq, quia corpus Christi in prima institutione Cœnæ nondum fuit glorificatũ, sed mortale, & panis à Christo datus, non est glorificatum corpus, sed quod in mortem tradendum erat, esse dicitur, nihil prorsus pro stabilienda corporali præsentia corporis Christi in Eucharistia, faciat iste definitiuus glorificati corporis essendi modus. Alioquin per verba Cœnæ, talem modum in corpore Christi introduci, eáque sic intelligi oportere fatendum erit: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, id est, Hoc corpus meum, definitiuè, spiritualium creaturarum essendi modo, est in pane. Quæ interpretatio admitti, & locum habere si debeat, Aut sola verborum Christi & Dominicæ Cœnæ institutionis virtute & ordinatione hunc definitiuum essendi modum, pro rerum incorporalium natura, in corpore Christi efficiat: aut etiam aliunde simul causam habere oportet, quorum neutrum sacræ Scripturæ & analogiæ fidei est consentaneum. Nam si corpus Christi, quod ante verba & actionem Cœnæ in pane Eucharistiæ præsens non fuit, in ipsa actione, per verba Christi, corporaliter, sed definitiuo modo, præsens esse incipere ponatur: necesse est, ab eodem Christi corpore quantitatis suæ dimensionem, qua certo aliquo spatio continetur, abstrahere, atque incorporeæ creaturæ modum, secundùm quem in pane definitiuè præsens esse possit, attribuere, & simul tamen etiam ei hanc suæ quantitatis certo spatio comprehensam dimensionem alibi reliquere. Vnde vel impossibilis in eodem Christi corpore, quod quantum, & non quantum,

Sic Lutherus in confessione par. 2.

Tollere corpori Christi definitiuum modũ, est ei adimere quantitatem, & partium dimensionem, hoc est, veri corporis naturam, & definitionem.

quantum, corporeum simul, & in corporeum esse dicitur, contradictio, vel duplex, & diuersa ipsius in Verbo subsistentia sequetur, sicut hoc prolixè demonstratum est ab Autoribus Orthodoxi Consensus.

In Prolegomenis & in cap. 6.

De Tertio & Repletiuo essendi modo cùm loquitur Lutherus, primò quidem dicit, hunc soli Deo competere, iuxta illud Hieremiæ: *Ego Deus, qui cœlum & terram impleo.* At postea statim sui oblitus, istum, quem diuinum & cœlestem modum vocat, tribuit corpori Christi, quatenus per hoc vna cum Deo persona est. Quòd si ita est, an non secundùm duos priores modos corpus Christi ab hac vnitate personæ cum Deo, est exclusum? Aut si secundum istos essendi modos non minus etiam vna cum Deo persona est Christi corpus, quorsum hoc ludibriosum de isto tertio essendi modo commentum? sine quo etiam in localis & glorificati corporis natura consistere cum Deo personæ vnitas potest. Secundùm itaque hũc tertium & planè ficticium modum inexplicabili, ne dicam absurdissima, opinionis sententia dicit Lutherus, *Corpus & humanitatem Christi esse intra & extra omnes creaturas, sicut ipse Deus. Cùm enim vna & indiuisa persona sit Christus, vbicunque est secundum Diuinitatem, ibi etiam simul esse secundum humanitatem, aut fidem nostram falsam esse.* Cui sententiæ, qui assentiri non volent, hos bardos, stupidos, & execrandos Suermeros appellat.

Per Tertium & repletiuum modũ corpus Christi Luthero vna cum Deo persona est.

Hunc modũ Patres Bergenses vocãt Maiestatem hominis Christi.

Nota absurdum *Nestorij*: Aut corpus & humanitas Christi est vbique. Aut fides Christianorum est falsa.

Hæc verò si quisquam Ephesini & Chalcedonensis Concilij tẽpore, cùm adhuc mores, & legitima in Ecclesia iudicia vigerent, ita asserere ausus fuisset, quàm non grauissimam Synodorum cẽsuram fuisset propterea laturus? Prouoco autem ad omnium qui veritatem intelligũt & amãt, æqua & non *πρὸς πολλὰ τυφλὰ* iudicia, an non ista Lutheri, ex mera & affectata ignoratione, quæ vera sit humanitatis Christi cum Verbo personalis vnionis ratio, sint profecta:

& an non multa inde sequãtur, quæ cum Orthodoxa Ecclesiæ fide, de duarum naturarum in Christo vna hypostasi, & de saluis & inconfusis vtriusque naturæ in hac hypostasi proprietatibus manifestissimè pugnent.

Vera personalis vnionis ratio.

Nam primò quidẽ vera personalis duarum naturarum in Christo vnionis ratio est illa, quæ est, vt supra aliquoties dictum fuit, secundùm hypostasin, & subsistentiã, hoc est, per quam humanitas Christi, vnà cum omnibus naturalibus proprietatibus, assumta est in vnitatẽ personæ Verbi, in qua eandẽ cum Diuinitate ipsius hypostasin & subsistentiã habet, vt hoc vnitionis modo non in propriæ suæ naturæ, sed in æterna Verbi persona subsistens, non etiam cõmunis alicuius per se hominis, vt Petri, & Pauli, sed Dei verbi per assumtionem, propria humanitas sit. Quemadmodum igitur hæc sola vnitionis ratio, secundùm hypostasin & subsistẽciam, facit carnem & humanitatem Christi Verbi esse propriam: Ita quoque hac sola potissimum ratione vnio personalis duarum naturarum in Christo cõtra Nestorianam personæ distractionem, est definita. Nam vt ex Nestorij controuersia cum Cyrillo & Synodo Ephesina suprà est explicatũ, illud primò, principaliter & propriè personalis illa & hypostatica vnio duarum naturarum in Christo efficit, vt qualis vtraque natura, in essentialibus suis proprietatibus, futura fuisset extra vnionẽ, in propria cuiusque hypostasi & persona, vt volebat Nestorius: Talis nimirum in iisdẽ essentialibus proprietatibus sit in vna & eadem vtriusque hypostasi & subsistentia. Sic enim Verbum caro factum, vna persona Deus & Homo est, sicut in sua propria hypostasi assumsit visibilem carnis formam & naturales finiti, certóque spatio circumscripti corporis proprietates, propter quas ita in vnitatem personæ assumtas, Deus verbum visibilis, & in humana forma circumscriptus Homo est. Hinc Athanasius: *Dominus*

Athana. Dialo. 4. de Trinita. Damasce. lib. 3. de Orthodo. fide. Cyrill. in Anathema. contra Nesto. & de incarnat. Vnigeniti.

Dialog. 4. de Trinit.

est forma

est formæ serui, unus est ipse Deus & Homo. Itē: *Cùm Deus visibilis fieri vellet, vniuit sibi corpus, quod conspici posset, eóque modo participans, & sibi ipsi œconomicè vniens corpus animatum, vnus & idem Deus & Homo est.* Proinde sicut corpus illud animatum, quod Verbum sibi vniuit, est ipsius proprium corpus non natura, sed secundum Oeconomiam, ita quoque passiones & affectiones corporis omnes Verbi sunt propriæ, non natura, sed secūdum vnitionis & assumtionis Oeconomiā. Et hoc est, quòd Synodus Oecumenica sexta, sicut duas perpetuò distinctas in vnione naturas, ita quoque duas & diuersas ipsarum naturarum proprietates in indiuiduam personæ subsistentiam concurrere, contra Monotheletas, Eutychianorum socios, docet. Hoc enim modo Christus formæ serui, vt Athanasius ait, hoc est, secundùm naturales finiti corporis proprietates vnitus, vnus est ipse Deus & Homo.

Deus est visibilis in corpore. Ergo visibile corpus in Deo.

Hoc nescivit, & non intellexit Nestorius, sicut nec nunc Iacobus Andreas.

Hoc non potest competere corpori Christi subpane.

Est igitur prorsus impossibilis hæc, & incarnationis veritati repugnans contradictio: Filium Dei, per vnionem hypostaticam, esse & dici visibilem, palpabilem, & localem, hoc est, certo quātitatis suæ spacio circumscriptum hominem, propter videlicet istas humanæ naturæ in vnitatem hypostasis assumtas proprietates. Et tamen nihilominus etiam per eandem vnionis causam, corpus Christi, quatenus Tertio isto essendi modo vna cum Deo persona est, extra assumtas essentiales suas proprietates, inuisibile, impalpabile, & incircumscriptum esse affirmare.

Impossibilis cōtradictio, in tertio essendi modo. Vide Orthodox. Cōsens. fol. 6. in prolegom.

Quòd si itaque hac vera & propria personalis vnitionis ratione secūdum hypostasin, vnde & Hypostatica dicitur, non ipsæ naturæ tantùm, sed & saluæ & incōfusæ proprietates ipsarum, in vnam personæ subsistentiam vnitæ concurrunt, atque sic vnū in Diuinitate & humanitate Christum, vt Cyrillus ait, efficiunt: quomodo cum hac Orthodoxa Ecclesiæ fide constare, & cōsentire potest, quod Lu-

therus dicit, corpus Christi per tertium illum Diuinum & cœleſtem repletiuum modum, quo eſt, (vt ipſe primus omnium in Eccleſia docet) nullis humanæ naturæ proprietatibus obnoxium, ſed intra & extra omnes creaturas, vt ipſe Deus, vnam cum Deo perſonam eſſe.

Hic eſt verus fructus contentionis.

Sel neccerus ex cipit fœtida loca.

Iſto enim ſic pro perſonalis vnionis fundamento poſito, tota incarnationis per hoc œconomia perit. Nã hoc vnionis modo humanitas Chriſti non eſt vt forma ſerui in noſtræ veritate & proprietate naturæ, ſed Vbiquiſtico illo in omnibus creaturis, & extra omnes creaturas eſſendi modo aſſumta. Ergo nec Chriſtus verè per incarnationem nobis eſt ὁμοούσιος, & per omnia ſimilis fratribus factus. Et quomodo igitur Verbum caro factum eſſe, hoc eſt, carnem noſtram & ſemen Abrahæ aſſumſiſſe, rectè dicetur? An videlicet, quia hanc carnem non ſecundum veri & organici corporis, ſed per Maieſtaticum & repletiuum vbique eſſendi modum, quo nullis humanæ naturæ proprietatibus eſt obnoxium, in vnitatem perſonæ aſſumſit? At verò ſic inquit Damaſcenus: *Incarnatus eſt Chriſtus, quia noſtræ carnis primitias aſſumſit, vt eadem eſſet ipſius carnis, quæ Dei verbi hypoſtaſis.* Et Cyrillus: *Verbum caro factum eſt, quia carnis noſtræ paupertatem ſibi propriam fecit.* Vnam igitur in Chriſto Deo & homine perſonam, per vtriuſque naturæ inuiſibilem, impalpabilem, & illocalem Vbiquepræſentiam in omnibus creaturis, ſtatuere, non eſt verum & incarnatum, ſed falſum & phantaſmaticum Chriſtum docere.

Verbum caro factum quid.

Lib. 3. cap. 7.

Lib. de Incarn. Vnig. cap. 4.

Quantò verò rectius hæc non ex contendendi ſtudio ſed ex Orthodoxæ potius antiquitatis conſenſu diſcere potuiſſet, adeóque etiam debuiſſet Lutherus, Nempe naturales humani corporis proprietates aſſumtas eſſe per Chriſtum, in teſtimonium veræ & non phantaſmaticæ incarnationis. De quo ſic Damaſcenus ſuccinctè & erudi-

Lib. 3. cap. 3.

tè

dicè ſcribit: *In Deifica illa vnione nequaquam caro Chriſti naturaliũ proprietatum excidentiam ſuſtinuit. Manſerunt enim & poſt vnionem naturæ inconfuſæ, & earum proprietates illæſæ. Nam quod creatum eſt, manſit creatum: & increatum, manſit increatũ: quod paßibile & mortale fuit, mãſit paßibile, & mortale: ſicut & impaßibile & immortale: & circumſcriptũ, circumſcriptũ, & incircumſcriptum incircũſcriptum: viſibile manſit viſibile: inuiſibile, inuiſibile. Vniuntur enim Chriſti naturæ inconfusè, ſecundum hypoſtaſin, ſuam quæque propriam differentiam ſeruantes, & rurſus diuiduntur indiuisè, pro modo & ratione differentium proprietatum. Alioquin enim niſi vna eadémque hypoſtaſis in Chriſto inuiſibilis, & impalpabilis ſit ſecundum Diuinitatem, & viſibilis & palpabilis ſecundum humanitatem, neceſſariò compellemur, aut diuidere vnum Chriſtum, duas hypoſtaſes facientes, quarum videlicet vna ſit inuiſibilis, alia viſibilis: aut naturarum negare differentiam, hoc eſt, ſublato viſibilis & inuiſibilis naturæ diſcrimine, verſionẽ & confuſionem introducere.* Sicut ergo Chriſtus per duas hypoſtaſes diuiditur, niſi Filius Dei in aſſumta noſtra carne viſibilis & palpabilis homo eſſe diceretur, per vnionẽ: Sic etiam, ſi humanitas Chriſti per viſibilis & palpabilis naturę proprietatem à Diuinitate differre nõ ponatur, naturarum verſio & confuſio introducitur.

Lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 9.

Lib. 4. cap. 5.

Nota contra Vbiquiſtas & commentum Kemnitij, de quo ſuprà.

Ex quibus manifeſtiſſimè conuincitur, non eſſe verum illud perſonalis vnionis fundamentum, quod in tertio illo ſuo eſſendi modo ponit Lutherus. Inde enim omnino ſequeretur, vt ſuprà eſt annotatum, iuxta primum, & localem, atque etiam alterum illum glorificati corporis modum, corpus Chriſti nõ fuiſſe hypoſtaticè vnitum verbo, nec vnam cum Deo perſonam: ex quo tandem infinita peſſimorum errorum abſurditas eſſet conſecutura. Quomodo tunc enim vnus & idem in vtraque natura, & cuiuſque naturæ ſaluis proprietatibus, Chriſtus eſſe poſſet,

si quod de salua proprietatum differentia in Chalcedonensi Synodo pro vera personalis vnionis explicatione traditum est, tantùm in abstractis extra vnionem naturis, vt Flaciani & Vbiquistæ deploranda cum impietate docent, intelligi debeat.

Sic Iacob. Andr. Wigād. Selnec. & Hamburg. ad Vvestphalum.

Damnata est ab Orthodoxis Iuliani Halicarnassei, & eorum, qui dogma ipsius secuti sunt, impia doctrina, qua corpus Christi, propter vnionem ad Deum Verbum, incorruptibile, hoc est, nullis humanis & naturalibus affectionibus, verè & naturaliter, sicut nostra corpora, sed sola spontaneæ voluntatis libertate, per quandam dispensationem, obnoxium fuisse docebant. Damnata est etiam in Synodo Constantinopolitana sexta hæc Acephalorum sententia, qui dicebant: *Humana natura Christi habuit quidem pedes, At illi non habuerunt proprietates humanæ naturæ.* Quo Ecclesiæ iudicio certè multò magis damnata videri potest, hæc infinitis modis deterior, & absurdior Vbiquistarum sententia, qua adeo præfractè, & tanta cum aduersariorum suorum contumelia & insectatione ab iis asseritur, corpus Christi, propter personalem cum Deo Verbo vnionem, nullis naturalibus humanorum corporum proprietatibus esse obnoxium, sed iis tātùm pro libera voluntate, quoties ita placuerit, vti. quod equidē omniū Orthodoxorum testimonio nihil aliud est, quàm ex incarnatione phātasiam facere. Oecumenius enim, cùm naturales corporis proprietates assumtas esse scribit, in testimoniū veræ, & non phātasmaticæ incarnationis, hoc ipso manifestè testatur, absq; naturalium proprietatū corporis assumtione, incarnationem Christi non esse veram, sed phantasmaticam.

Euagrius lib. 4. cap. 38. Nicephorus li. 17. cap. 29.

Idem est Vbiquistarum fundamentum.

Andreas Musculus in Thesibus de incarnatione.

Non omitto, quod etiam manifesta in eo cōtrarietas sit, quòd Lutherus in hac sua, de triplici corporis Christi essendi modo, tractatione, duobus in locis disertè affirmat, corpus & sanguinem Christi, secundū definitiuū essendi modum,

dũ, sicut per clausam ianuã, & lapidẽ sepulchri penetrauit: Ita quoq; pro glorificati corporis natura esse in pane & vino: quod & tãdẽ pro vltima sua sentẽtia in parua Cõfessione probauit. (quamuis hoc ipsum cõtra Bezam & alios dicere & negat Iacobus Andreas) & tamẽ simul docet, secũdùm tertium illum illũ essendi modũ, quo vna cum Deo persona est, corpus Christi nõ tantùm in pane, sed etiã in omnibus creaturis, & extra creaturas esse. Ista igitur definitiui modi corporis Christi in pane præsentia, qua præsupponitur non semper in pane, nec extra panẽ esse, cuius loco definitur, sicut Spiritus & Angelus, nõ potest cõsistere cum illo tertio repletiuo, & vniuersalis vbiquepræsentię modo, sed alterũ ab altero destrui & euerti est necesse. Hoc quia vidit & intellexit Thomas Aquinas, *Corpus Christi*, inquit, *non est in hoc Sacramẽto definitiuè, quia sic nõ esset alibi quàm in hoc Altari, vbi cõficitur hoc Sacramentum, cùm tamen sit in cælo in propria sua specie, & in multis alijs altaribus, sub specie Sacramenti.*

Si corpus est definitiuo modo in pane, Ergo non potest esse modo repletiuo.

3. Part. quæ. 76. art. 5.

Apparet autẽ, Lutherũ post susceptã illam ex pacto cum Carolostadio, exacerbatis vtrinque animis, infelici rerum successu controuersiam, præ nimio contendendi feruore, aduersariorúmque suorũ odio, multa, si dicere liceret, temerè & imprudenter effudisse, & propter dissimulatũ, aut etiam non satis vbique intellectum, & obseruatũ Concreti & Abstracti in persona Christi discrimẽ (sicut ipse hoc alicubi fatetur) talia scripsisse, in quæ si Cyrillus, & Synodus Ephesina incidissent, proculdubio Nestorianismi suspecta habuissent: vt quod pro tuenda substantiali prædicatione corporis Christi de pane scribit: *Non esse contra veram & probatam Dialecticam, quòd vna res disparata, vt panis & lapis, possit de alia, vt de corpore & ligno, reuera prædicari.* Et hoc paradoxon probaturus, extremã inscitiam aduersatiis suis obiicit, & exemplum à Christi persona in duabus

In hoc fatetur Lutherus se sæpe aberrasse.

In Confessione Maiore de prædicat. Identica.

Paradoxon Lutheri.

Hic cõfunditur homo & hypostasis, cum humanitate & natura.

naturis adducit. Rectè enim dici, *Iste homo est Filius Dei*, ad cuius locutionis veritatem non sit necesse, vt humanitas intereat, aut vt pronomen, *Iste*, non hominem, sed Deum demonstret (sicut Sophistæ per pronomen, *Hoc*, corpus & non panem demonstrari volunt) sed humanitatem nihilominus manere, & tamen in ista locutione Deum & Hominem magis inter se disparata & repugnantia esse, quàm panẽ & corpus, lapidem & lignũ, aut bouẽ & Asinũ. *Quid autẽ*, ait, *hoc facit, vt dua diuersa natura vna substantia fiat, & vna dicatur esse alia? Absque dubio non substãtialis vnitas naturarum, sed personalis vnio.*

Quis potest hæc capere?

In hac Lutheri sententia, præterquàm q, non rectè nec Theologicè dicatur, in persona Christi vnã naturã dici de alia, quia vtriusq; vna essẽtia, seu substãtia sit, etiã illud Nestorianismũ sapere videtur, quod in ista locutione: *Iste homo est Filius Dei*: Homo & Deus disparata inter se, & repugnãtia dicantur. hoc enim manifestissimè, sicut in pane & corpore Christi, ligno & lapide, Boue & Asino, duas diuersas hypostases, & singularem cuiusq; rei in sua propria natura subsistentiam præsupponit, sicut in Deo & Homine Christo docebat Nestorius.

Vide Prolego. Quthod. Cõsen.

Equidẽ si humanitas diceretur esse Deus, vel Deitas, verum esse aliquo modo posset, quod de rebus in subiecto, & prædicato disparatis, intérque se repugnantibus dicit Lutherus. At cùm dicitur, *Homo est Deus*, id est persona, seu hypostasis, quæ propter assumtam humanitatẽ homo est, est Deus: idẽ est prorsus, & nõ diuersum, multóq; minus repugnãs in subiecto & prædicato suppositũ. Estq; prædicatio reuera idẽtica, nõ quòd vna natura dicatur esse alia, vt Lutherus in ista locutione fingit, sed ppter hypostasis in subiecto & prędicato identitatẽ. Et ideò Nestori", qui duas in Christo naturas, & propriã cuiusq; hypostasin faciebat, Hominẽ Christũ, nõ propriè, sed per æquiuocationẽ, & cõ nuncupationis autoritatẽ, Deũ esse cõcedebat. Hominẽ itaque

In identitate hypostasis non est diuersitas, vel repugnãtia subiecti & prædicati.

Christum & Deum, cum pane & corpore Christi, ligno & lapide, boue & asino, cùm de se mutuò dicũtur, in ratione subiecti & prædicati, tanquam disparata & repugnantia, conferre: est, vt omnes docti iudicant, propriam vbique subiecti & prædicati subsistentiam cum Nestorio ponere.

Quemadmodum autem hoc Lutheri, pro constituenda personæ Christi vnitate, fundamẽto, localis & circumscriptiuus corporis Christi essendi modus cum Nestorio ab vnitate personæ excluditur, & naturales ipsius proprietates extra modum vnionis ponuntur: sic ab hac per repletiuum vbiquepræsentiæ modum cõstituta corporis Christi cum Deo Verbo personali vnione, proprietates ipsius cum Eutychete confunduntur. Vt enim ex Theodoreto constat, per hoc, quod carnem Christi priorem suam formam & circumscriptionem exuisse dicebant Eutychiani, etiam in Diuinitatis naturam tranfiisse docebant. Et Leo Romanus, Corpus, quod Eutychiani Christo tribuebant, ideo Phantasmaticum appellat, quòd ad tollendam de veritate ipsius dubitationem dici de ipso non posset: Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet. *Non enim*, ait, *corpus Christi est vlla ratione extra nostri corporis veritatem.* Ac proindè, si rectè, & absque dissimulatione, quod res, iudicare velimus, talis hinc in effectu docetur Christus, qui quatenus corpore suo visibilis, palpabilis, localis, & circumscriptus fuit, & adhuc est, extra Deum, hoc est, vnionem cum Deo, esse & subsistere ponitur. Quatenus verò vna cum Deo persona est, secundum vtramque simul naturam, inuisibilis, impalpabilis, illocalis, incircumscriptus, & vbiquepræsens esse, non in salua, sed sublata proprietatum differentia, per vnionem statuitur: qualem Christum Scriptura, & Orthodoxa Ecclesiæ Dei fides nunquam agnouit, sed vtraque Ephesina, & Chalcedonensis, Synodus apertè vt falsum reiecit & damnauit.

Dialog. 2.

Ad Palestinos.

Epist. 90.

Hîc attendant Autores Libri Bergẽsis, eiúsq; Subscriptores.

Synodus Ephesina.

Sicut enim per Ephesinæ Synodi definitionem, propter indiuisæ personæ vnitatem, & vtriusque naturę Christi vnum ὑφιστάμενον, Deus ex Virgine natus, visibilis & palpabilis homo dicitur: Ita per Chalcedonēsis Synodi definitionem, vtriusque naturæ proprietas in vnione nusquam euacuatur, sed semper, & vbique salua & inconfusa manet. Iste igitur in pane realiter corpore suo pręsens & existēs Christus, quoniam in eo non eodem modo, quo duæ naturę, sic etiam duarum naturarum distinctæ & oppositæ proprietates in vnam concurrunt personam, non est, secundum vtriusque Synodi definitionem, verus & incarnatus, sed falsus & imaginarius Christus.

Synodus Chalcedonensis.

Notate Vbiquistæ.

Quomodo autem illud Lutheri siue defendent, siue excusabunt Iacobus Andreas & coniurati ipsius, cùm adeò confidenter Aduersarios suos oppugnans, in hanc sententiam definit? *Nisi propter personæ Christi in duabus naturis indiuisam vnitatem, humanitas ipsius sit intra & extra omnes creaturas, sicut ipse Deus, fidem nostram falsam esse.* Et tamen strenuè negant Patres Bergenses, vllam Vbiquitatis mentionem in suo libro contineri. Certè non tam tetrum, nec adeò intolerandum δύσφημα esset, si quis ex Pontificiis diceret: *Nisi ex operibus coram Deo iustificemur, fidem Christianorum falsam esse.* Quàm verò satius esset, hæc perpetuo silentio supprimere potius, quàm adeo violenter Ecclesiis recipienda, & approbanda obtrudere.

Dogma libri Bergensis.

Cæterùm aduersus ista de triplici corporis Christi essendi modo superius explicata commenta, sciendum est, & vtraque manu pro infallibili veritate tenendum, corpus & humanitatem Christi non aliter, quàm in vnione, hoc est, in Deo verbo, absque propria suæ naturæ hypostasi & subsistentia, considerandam esse, sicut in suo Edicto docet Iustinianus. Alioquin, vt dictum est, in propria sua hypostasi subsistens, Nestorianus esset Christus.

Vnicus & verus corporis Christi essendi modus.

Itaque

Itaque si corporis Christi tres isti inter se varij & repugnantes essendi modi sunt, etiam tribus illis modis, per vnionem, in Verbo esse & subsistere oportet, & concedi est necesse. Quoniam autem ita in Verbo per vnionem est, & verè subsistit corpus Christi, sicut per incarnationem est assumtum: consequēs erit dicere, Filium Dei Verbum, secundùm primum essendi, vel subsistendi in eo modum, assumsisse naturale, suáque quantitate & loco finitum corpus: secundùm alterum verò & definitiuum modum, vnitam sibi, & subsistentem in se habere, spiritualis & incorporeæ creaturæ naturam: denique secundùm tertium Repletiuum & Maiestaticum modum assumsisse inuisibilem, impalpabilem, & illocalem corporis Vbique præsentiam. Quibus portentis, à triplici corporis & humanitatis Christi in Verbo subsistentia, per assumtionem, aut triplex tandem efficitur & introducitur Christus: Siquidem vni & in nostræ naturæ proprietate assumtæ corporis Christi in Verbo subsistentiæ, omnes istos tres modos accommodare, impossibilis, & veritati repugnans contradictio sit. Aut naturalis & glorificati corporis essendi modum ab assumtione, & personali in Verbo subsistentia excludi est necesse.

Hæc est illa doctrinæ absurditas, in quam impingit ille triplex essendi mōdus.

Sic August. contra Faustum.

Refutatur autem istud tam operosum commentū hac vna, simplici, & efficacissima ratione. Nempe, Sicut impossibile est, potuisse Filium Dei, per nostræ carnis assumtionem, verè incarnari, & nobiscum ὁμοούσιον fieri, ad exequendam salutis nostræ œconomiam, secundùm definitiuum & maiestaticum essendi modum: Ita pari ratione impossibile est, veram, & in assumtis nostræ naturæ proprietatibus factam incarnationem, in ficticiis istis essendi modis consistere & perseuerare posse. Sed, vt Synodus Nicena Secunda ex Cyrillo refert, *Si visibilis, & tangibilis humanæ Christi naturæ forma & proprietas in*

Fol.61.Tom.3. *inuisibilem & impalpabilem naturæ conditionem mutaretur, Christus per hoc desineret esse primogenitus ex Fratribus, nósque sic gratia excideremus adoptionis.*

Cyrillus in capitulis, & Apolog. contra Nestorium & lib. de incarnatione.

Quod si de modis existendi corporis Christi, ex Ephesinæ Synodi, contra Nestorium, controuersia, de Viuificatione, & Vnione carnis Christi cum Verbo, disserere libet, sic omnis ipsius existendi modus, secundum quem in mysteriis manducatur, aut est, vt communis, & per se, in propriæ suæ naturę persona, hominis, Verbo per assistentiam, & autoritatis, seu dignitatis & gloriæ, æqualitatem vniti seu coniuncti, de quo Christum dixisse sensit Nestorius: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*: Aut est vt Verbi per hypostasin & subsistentiã proprij, quod in contrarium Synodus Ephesina, ab eadem carnis Christi manducatione & viuificatione, docet.

Vide Orthodo. consens. fol. 28. & 116.

At secundùm Definitiuum, & Maiestaticum illum Repletiuum existendi modum, corpus Christi non est, neque vt cõmunis & per se hominis, neque vt Verbi per hypostasin proprium corpus. Nam, vt supra ex Athanasio est ostensum, non aliter corpus Christi verbi secundùm œconomiam & assumtionem proprium est, quàm sicut omnes eodem modo naturales ipsius proprietates, per assumtionem, & œconomiam Verbi sunt propriæ. Et Cyrillus ait: *Deus verbum carnem, & omnia quæ carnis sunt propria, sua fecit, quoniam ipsius est, & non alterius ab eo corpus.* Ergo facessat Definitiuus ille, & Maiestaticus essendi modus, secundum quem nec ex sententia Nestorij (si vera esset,) nec ex Ephesinæ Synodi definitione, corpus Christi verũ, & Verbo vnitum, in mysteriis manducatur.

Hîc viderint, quomodo commenta sua defendant Vbiquistæ.

Lib. de Fide ad Petrum. cap. 19.

Augustinus, seu Fulgentius carnem & sanguinem Christi triplici modo in verbo & Sacramentis, quò ad Ecclesiã, se habere scribit. Primò enim ante aduentum Christi carnem & sanguinem ipsius in victimarum oblatione fuisse

fuisse promissa. Secundò post aductum in passione reipsa & in veritate fuisse exhibita. Tertiò autem nunc post ascensionem Christi per Sacramentum memoriæ celebrari: *Dum videlicet sacrificium panis & vini per vniuersum orbem terræ à sancta Catholica Ecclesia offertur, in quo est commemoratio carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis effudit.* Proinde sicut caro & sanguis Christi, ante aductum, in victimarum oblatione fuerunt, tanquam in promissione rerum futurarum: Sic nunc post ascensionem, in sacrificio panis & vini sunt, non per substantialem aliquem præsentiæ seu essendi modum, sed per memoriæ commemorationem. Per hoc enim, quod nunc post ascensionem in sacrificio panis & vini commemorationem carnis & sanguinis, quæ pro nobis oblata sunt, esse dicit, excludit omnem corporalis præsentię, qua realiter in pane & vino existant, modum.

Sacrificium panis & vini.

Aliud est commemoratio carnis: aliud corporalis essendi modus.

Hilarius & Cyrillus veritatem, seu modum essendi corporis Christi, cuius in mysterio Dominicæ Cœnæ participes efficiuntur fideles, dicunt esse naturalē, cum quo etiam per participationem ipsius naturalem vnitatem & coniunctionem, sicut membra cum capite, habeant participantes. Et elegāter Chrysostomus ad Cęsareum Monachum contra Apollinaristas, vt suprà est adductum, disputans, ait: *Veritas corporis Christi, cuius nomine seu appellatione panis, per sanctificationem Sacerdotis, dignus est factus, sic incorruptæ naturæ suæ proprietatis conseruat agnitionem, sicut ipsa natura & substantia panis manet.*

lib. 7. de Trinitate. lib. 10. cap. 13. & lib. 11 c. 26. in Iohan.

Hæc sententia planè destruit corporalis præsentiæ commentum.

Definitiuus autem, & Repletiuus corporis Christi essendi modus, cùm non sit naturalis, neque cum eo naturalem vnitatem, & coniunctionem habeant fideles, denique nec modus iste veri corporis humani proprietatis conseruat agnitionem.

Ergo etiam corpus Christi, secundùm definitiuum, &

repletiuum essendi modum, non est nec communicatur in Dominica Cœna.

1. Corinth. 10. vide Orthod. Consen. fol. 37. cap. 1.

Item Paulus Apostolus talem κοινωνίαν, & communicationem corporis Christi in fractione & sumtione panis fieri ait, per quam vnus panis, & vnum in Christo corpus fiunt participantes. Hinc Chrysostomus ait, *Vnione communicamus. Quemadmodũ enim illud corpus vnitũ est Christo, ita nos per hunc panẽ mysterij vnione coniungimur. Quid cõmunicationẽ appello? illud ipsum corpus sumus. Quid est panis? corpus Christi. Quid fiunt qui accipiunt? corpus Christi non multa, sed vnum. Nam quemadmodum panis ex multis granis vnitur, sic inuicem Christo coniungimur, vt corpus cum capite vniatur.* Cyrillus, *Virtus sanctissimæ carnis Christi vnum corpus facit participantes, ea de causa comparticipes Christi & concorporales sumus.* Et Augustinus ad fratres in eremo: *Hoc sacramentum ideo nobis datum est, vt corpus quod est in terris, cum capite, quod est in cœlis, coadunetur.*

Homil. 24. 1 Cor.

Ergo panis mysterii nõ est ipse substantialiter Christus.

Lib. 11. cap. 20. in Ioannem.

Sermo. 28.

At secundum Definitiuum, & Repletiuũ essendi modum, vnione non cõmunicamus, nec vnum cum Christo corpus, seu concorporales, hoc est, ex carne & ossibus ipsius, fiunt participantes. Quoniam secundùm hunc modum non reformabit mortalia corpora nostra, cùm hæc faciet conformia corpori claritatis suæ. Neque ad hanc corporis cum capite Christo coadunationẽ necessarius est talis in pane essendi modus, de quo sic Augustinus: *Quemadmodum Christus in nobis hîc, ita nos ibi in illo sumus. Christus caput nostrum sursum in cœlo est, & nos deorsum in terra. Est autem ille in nobis hîc, & nos ibi in illo sursum. Nos autẽ fide, spe & dilectione sumus cum Christo in cœlo, cum quo consurreximus, & coascendimus, & ipse diuinitate, bonitate, & vnitate* (corporis videlicet sui) *nobiscum est in terra.*

Bonauen. lib. 3. dist. 13. art. 2. qu. 1.

Sermo. 53. de verbis Dom. & psal. 21. & 54.

Ergo pro tuenda, & retinenda vera corporis Christi præsentia, & communicatione in Dominica Cœna, merum & inane commentum est definitiuus & repletiuus

maiestaticus ille essendi modus.

Item: In Dominica Cœna agitur mysterium salutis, & redemtionis nostrę, quam Christus in assumta nostræ carnis natura peregit, cuius etiam, quasi in visibili promissionis verbo, institituta est applicatio & dispensatio, in qua caro Christi, quatenus vt redemtionis pretium pro mundi vita data est, communicatur.

Vide Orthod. Consens. cap. 5. & 6.

Ergo talē oportet esse carnis Christi in cōmunicatione sacrę Cœnę essendi modū, qualis per incarnationē in hac nostrę redemtionis œconomia fuit, atque in pretium pro mūdi vita data fuit. Quo argumēto Irenęus cōtra Martionē, à vera corporis Christi cōmunicatione in Eucharistia probat verū & nostræ naturę corp⁹, in quo redētionis mysteriū peregit Christ⁹. Sicut & Tertullian⁹, vt supra adductū est, dicit, se à panis & calicis Sacramēto assūti corporis veritatē, cōtra Martionis phātasma ꝓbasse. Et hīc Cyprian⁹ Domin. Cœnę mysteriū carnē dici ait ꝓpter assūtę humanitatis ꝓprietatē. Non igitur panis hoc modo verè est, & dicitur corp⁹ Christi, quia vid. corp⁹ hoc definitiuo vel repletiuo essēdi modo realiter est seu existit in pane.

Hoc argumentum non valeret in repletiuo essendi modo.

Sermo. de Cœna

Quo loco monēdi sunt nostri Vbiquistæ, qualem ipsi à definitiuo essendi modo, quo corpus Christi cum sono, & splendore sōlis confertur, item à Repletiuo illo modo, per quem in omnibus & extra omnia realiter existere asseritur, veritatem ipsius corporis contra Martionem, & Manichęos probare se posse cōfidant. Equidem tale Christi corpus, seu potius phantasma corporis, qualis est Definitiuus & Repletiuus ille modus, non negabāt, sed Christo tribuebant Martionitæ & Manichęi.

Hinc constabit, an cum Antiquitate sētiant Vbiquistę.

Denique si corporis Christi alius essēdi modus est, quo in pane Eucharistiæ sine essētialibus ꝓprietatib⁹ existere fingitur, q̄ quo ꝓ incarnationis œconomiā in nostrę proprietate naturę est assūtū. Quomodo Synod⁹ Ephesina à

Vide declarationem Anathem. Cyrilli.

manducatione, & viuificatione carnis Christi in Eucharistia, potuisset contra Nestorium mysterium incarnationis, & vnionis personalis explicare? Oportet igitur, in definienda hac contra Nestorium controuersia, eundem esse corporis Christi secũdùm veritatem essendi modum quo manducatio ipsius in Eucharistia est commẽdata, & quo per incarnationem est assumtum.

Vnus & idem essendi modus, per incarnationem, & manducationem in Eucharistia.

Quemadmodum ergo corpus Christi secundùm Definitiuum, & Repletiuum essendi modum non est assumtum, quia tali modo Filius Dei nõ est incarnatus, hoc est, visibilis, & nostri generis homo factus: Ita quoque secundum tales modos corpus Christi non est, nec corporaliter manducatur in Cœna.

Quibus omnibus, quæ hactenus de quatuor istis Lutheranæ doctrinæ fundamentis, pro asserenda corporali in pane præsentia, dicta sunt, diligenter & accuratè expensis & consideratis: Illud à patribus Bergensibus vt tandem aliquando apertè explicetur, erit requirendum, ex quo videlicet præcipuè fundamento, tanquam sua vera, propria, & immediata causa efficiatur corporalis illa in pane præsentia. Cùm enim, vt suprà abunde ostensum est, non solùm magna istorum fundamentorum, in probanda seu efficienda ista corporali præsentia, diuersitas, sed & euidens inter ipsa contrarietas & repugnantia sit, nisi ad certam aliquam veram, & immediatã causam, ex qua propriè fiat & efficiatur hæc corporalis præsentia, referatur: nulla istorum fundamentorum omnium, quæ contrarietate sua semetipsa euertunt, doctrinæ certitudo esse potest; sed mera erroris vanitas, & inconstantia.

Syngrãma Theologorum Sueuiæ Anno, 25. cui Lutherus tanquam suę propriæ doctrinæ subscripsit.

Certè ab initio controuersiæ contra Carolostadium, Zuinglium, & Oecolampadium motę, omnes totius Sueuiæ Ecclesiarũ Doctores & ministri, in ipsorum syngrammate, longè aliis suæ doctrinæ fundamentis, in tuenda & aduersa-

aduersarijs suis persuadenda veritate, vsi fuerunt. Nihil enim istis de verè sophistica, & inani illa plurium essendi modorum vnius corporis Christi, argutia in mentem tũc venit, sed corpus hoc Christi sicut verum, corporale, & carnale est, ita in Cœna fidelibus per verbũ offerri, dari, & exhiberi senserunt. Sic enim scribunt: *Hoc verbo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, & , Hic est sanguis meus, qui pro vobis effusus est: corpus & sanguis Christi comprehensa sunt, & fidelibus offeruntur, vsque adeo, vt quicunque hoc verbum accipiat, credat, fidéque teneat, accipit, habet, & tenet verum corpus & sanguinem Christi, eum videlicet, qui effusus est, non spiritualem aliquem, sed carnalem.* Item: *Nec quisquam negauerit, esse spiritualiter edendum corpus, quod pane per verbum editur, quemadmodum nemo ita stupidus est, qui diffiteatur, Verbum Euangelij spiritualiter, hoc est, fide recipiendum esse, vt maximè hoc auribus recipiat. Sicut enim fides verbum, quod auribus accipitur, pro sua ratione recipit, ita corpus, quod pane accipitur, pro ratione fidei assumitur. Corpus enim Christi corporale non recipitur à corde, animo, & fide, nisi pro ratione fidei, quæ est spiritualis, vt maximè ipsum sit corporale.* Item: *Panem quidem ipsum, quà panis est, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atterimus. Corpus autem Christi accipimus, quà verbum hoc accipimus: Hoc est corpus meum: Vt pulcherrimè quidam dixit: Quod edimus, intrat ventrem: quod credimus, intrat mentem.* Et pòst: *Quod autem fide manducandum sit corpus, & bibendus sanguis, nihil adimit pani, vt non sit corpus.* Sed & de modo, quo verum & carnale Christi corpus in Cœna per verbum præsens fiat, & à cõmunicantibus accipiatur, sic scribunt: *Cùm verbũ Dei dona ipsius nobis præsentia faciat, non aliter hoc verbo: Hoc est corpus meum: fit nobis & exhibetur præsens corpus Christi. Sic enim omnia in Cœna, vt in ipso verbo, quærenda sunt.* Et pòst: *Non igitur opinamur, quenquam tam impiè sentire, qui neget, fidem*

Corpus & sanguis Christi accipiuntur, sicut in verbo cõprehensa offeruntur.

Spiritualiter, id est fide.

Talis non est repletiuus essendi modus.

Fide manducãdum est corpus, quod panis est.

Status Controuersiæ contra Zuinglium & Oecolampadiũ.

edere corpus, & bibere sanguinem Christi. Sic enim ait Iohann. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. At cuius? Fidei. Nam fides edit carnem Christi, & bibit sanguinem eius, dum credit. Iam si fides edit carnem, & bibit sanguinem, cōsentaneum est, carnem & sanguinem esse præsentia: siquidem si non essent præsentia, non possent edi aut bibi, aut, si mauis, credi.

Hęc tunc Autores Syngrammatis, Iohannes Brentius, Erhardus Snepphius, & aliarum Sueuicarum Ecclesiarum Ministri, quorum doctrina, cui Lutherus præmissa præfatione subscripsit, eámque pro suæ sententiæ explicatione ab omnibus haberi voluit, ad verā corporis Christi præsentiam & communicationem in pane Cœnæ per verbum, nullum peculiarem siue Definitiuum, siue Repletiuum essendi corporis Christi modum necessarium esse statuit: propterea quòd hoc corpus, non pro modo & ratione, qua secundùm existentiam suam carnale & corporale est, sed pro fidei modo accipiatur: eo, quòd omnia in Sacramento Cœnæ, sicut in verbo, quærenda & accipienda sint. Voluerunt itaque, & rectè, in accipiendo corpore Christi, non esse peculiarem existentiæ modum in ipso corpore fingendum, sed in ratione accipiendi, proprium huic rei, hoc est spiritualem fidei modū constitui oportere.

Hinc deprehendi erroris vanitas, & Bergensiū Patrū crudelis malitia potest.

Nota bene.

Cur sic hodie sentire non licet ô crudeles fidei dominatores?

Cōtrarietas Lutheri.

Ista autem quoniam sic contra semetipsum subscriptione sua approbauit Lutherus, quid tandem existimant Flaciani & Vbiquistæ, contra hunc publicum ipsius Lutheri cum Sueuorum Syngrammate consensum, tribuendum esse priuatis istis Polemicis suis scriptis, in quibus mero contendendi feruore & studio, cùm aliter Aduersariis suis respondere non posset, in hanc sophisticam distinctionem, de tribus corporis Christi inter se dissidentibus essendi modis, ex non rectè intellecta Scholasticorum

rum ſententia, abreptus fuit? quod tamen commentum anno poſtea 36,& 37. in tractatu concordiæ cum Bucero & Heluetiis omnino, ſicut hæc edita hac de re acta, ipſiúſque Buceri retractationes teſtantur, ab eo reuocatum, aut, ſi adhuc Polemica iſta ſua ſcripta contra Bucerum & Heluetios valere voluit, miſerè tunc hos, in tractanda hac Concordia, opinione ſua deceptos,& fruſtratos fuiſſe, concedi oportebit. Illud ſanè negari non poteſt, etſi poſt Vvitebergenſem Concordiæ formulam Bucerus, & Sueuicarum Eccleſiarum Miniſtri Luthero reconciliati eſſent, neminem tamen ex ijs vnquam tunc ipſi in hiſce doctrinæ ſuæ fundamentis acceſsiſſe, vtpote, quorum ſyngramma ab ipſo, vt ſupra dictum eſt, approbatum, manifeſtiſsimè iſtis fundamentis omnibus aduerſaretur.

Vide Acta Cõcordiæ.

Quid ad hoc dicetis Patres Bergenſes?

Quoniam itaque tunc, iam ſtabilita inter diſſentientes concordia, iſta Lutheri fundamenta nullum in Eccleſia publicum, etiam inter Auguſtanæ Confeſsionis ſocios, conſenſum habuerunt, manifeſtiſsimum eſt, hæc, non niſi perfidiosè, & turpiſsimè retractata hac concordia, denuo in Eccleſiam introduci, nec à Bergenſibus Patribus abſque inſigni impoſtoria fraude tot principibus viris, & Germanicis Eccleſiis pro Auguſtanæ Confeſsionis explicatione, recipienda obtrudi poſſe.

Nota. Fundamẽta Lutheri nunquã fuerunt publico conſenſu recepta & approbata.

Proinde ſi quis ab iſtis Agyrtis & impoſtoribus quærat, Cur Auguſtanæ Confeſsionis verus ſenſus, poſt ſancitam inter Lutherum, & Aduerſarios ſuos concordiam, ex iſto Sueuicarum Eccleſiarum Syngrãmate, aliíſque publicè approbatis ſcriptis & decretis, nõ multò iuſtius, quàm ex priuatis & Polemicis illis Lutheri ſcriptis, quorum doctrinæ genus non eſt Orthodoxum, ſed recens, varium, & in contentione natum, accipi & intelligi debeat? Quid aliud quæſo reſponſuri ſunt, quàm haſce tyrannicas,

ex vsurpato fidei Dominio, voces? Nobis sic placet, Nos sic volumus: Si quis aliter sentit, Fanaticus est, Sacramentarius est, Zuinglianus, & Caluinista est. Idque pro omni ratione sufficiat.

cap. 6. Etsi autem in libro Bergensi inserta sit Vvitebergensis concordiæ formula: tamen quæ de causa & modo corporalis præsentiæ ex supradictis Lutheranæ doctrinæ fundamentis in eo traduntur, prorsus cum ista formula non consentiunt. Nam quæ ex verbis Irenæi ibi adducuntur, quod videlicet Eucharistia duabus rebus, terrena & cœlesti, constet, & quod vnà cum Transsubstantiatione negatur localis inclusio corporis Christi in pane, & durabilis aliqua ipsius cum pane coniunctio, extra vsum institutũ, sed quod sacramentali tantùm vnione panis corpus Christi esse cõceditur: Ista, sicut à Bucero & Sueuicis Ecclesiis statim pòst publicè explicata, & semper intellecta fuerũt, nulla ratione admittunt, vt Corpus Christi, ante & extra vsum Dominicæ cœnæ, per Maiestatẽ vnionis, & modum sessionis ad dexteram, non tantùm in pane, sed & alia quauis creatura præsens esse ponatur. Aut igitur præcedentia Lutheri Polemica scripta, ex quibus Patres Bergenses quatuor ista suæ doctrinæ fundamenta Ecclesiæ nunc primùm pro recepta doctrina, quod tamen anteà nunquam fuerunt, obtrudere conantur, hac Vvitebergensis Concordiæ formula abrogata fateri, aut per hæc hactenus ignorata fundamenta ipsam Concordiæ formulam rursus abrogari est necesse.

Formula cõcordiæ Vvitebergensis.

Vide Orthodo. Consen. fol. 172.

Quibus accedit, quod omninò negari non possit, in Marpurgensi conuentu, omnem controuersiam de persona Christi, & aliis articulis, inter Lutherum & aduersarios suos fuisse compositam, excepta tantùm illa quæstione, An corpus Christi sit corporaliter, non Vbique, per Vnionem, sed in solo Eucharistiæ pane, ex verbis Dominicæ

Concordia Marpurgensis.

Quæstio de Vbiquitate corporis sublata.

nicæ Cœnæ. Quo vno controuersiæ capite solummodo superstite manente, reliquas disputationes omnes vtrinque sublatas, & quasi lite transacta sopitas fuisse, omnes boni & sinceri fatebuntur. Sic autem habet Concordia Marpurgensis de persona Christi:

Credimus, quod non Pater & Spiritus sanctus, sed Filius Dei Patris, naturalis Deus, homo factus sit, per operationē Spiritus sancti, natus ex casta Maria virgine corporaliter, perfectus in corpore & anima, sicut alius homo, absque tamen peccato: Et quod hic Dei & Mariæ Filius, in diuisa persona Christus, pro nobis sit crucifixus, passus, & sepultus, resurrexit à mortuis, ascendit in Cœlum, sedens ad dexteram Patris, super omnes creaturas Dominus: sic venturus iudicare viuos & mortuos.

Artic. 2. & 3. per hæc refutatur articulus in libro Bergensi.

Christus sic sedet ad dexteram Patris, sicut est venturus.

Ex his igitur quoniam bona fide negari non potest, articulos de incarnatione & persona Christi, & quomodo Deus in indiuisa personæ vnitate sit passus, itē de Ascensione in Cœlum, & sessione ad dexteram tunc fuisse conciliatos, nec quicquam à Lutheri aduersariis potuisse, hac saltem in parte, iustè reprehendi aut desiderari: quorsum attinebat à Patribus Bergensibus, ex mero maledicendi studio, virulentam illam Lutheri contra Alloeosin Zuinglij disputationē, in qua constat Lutherum Zuinglij sententiā aut nō intellexisse, aut intelligere nō voluisse, contra sancitæ Cōcordiæ & Transactionis fidem, ad inuidiā insontibus creādam, denuò refricari & inculcari? Equidem à Iacobo Andrea nō alio cōsilio & fine hoc factum fuisse certum est, quàm vt hinc errorem suum stabiliret, quo contra Bezam docet, Christū non tantùm secundum carnem, & vt hominem, passum fuisse, sed etiam passionem ipsius quodāmodo redundasse in ipsam diuinitatem, quod etiam sentit Brēnius: *Negari non posse*, inquiēs, *quin diuina natura in Christo passionis & mortis suo modo*

Alloeosis contra Zuinglium in libro Bergensi damnata.

Hoc notate subscribentes.

folio 112. & 116.

Contra Busling. folio 11.

particeps facta sit. Contra quam blasphemiam, sub hac Allœosis Zuinglij reprehensione ab ipso Iacobo Andrea, in libro Bergensi insidiosè occultatam, ita scribit Cyrillus:

In Epistola ad Nestorium.

Quemadmodum propter carnem, Verbi per assumtionem in Vnione propriam, natiuitatem carnis suam facit Deus Verbum, sicque Deus ex virgine dicitur natus: ita quoque passus & resurrexisse dicitur, non secundùm naturam Verbi, sed quia proprium illius, & non alterius à Deo verbo corpus est, quod passum est. Inerat enim in corpore quod patiebatur Deus, qui pati non poterat, quòad naturam. Insania est enim hoc vel sentire, vel dicere. Item: *Quia propriũ eius corpus factum est, quod ex Maria virgine assumsit, eam ob causam carnis passiones ipsius esse dicimus, dispensatiua quadam appropriatione, seruata vtrobique natura impassibili.* Quod autem Iacobus Andreas & Selneccerus Zuinglium sua Allœosi docuisse dicunt, solam Christi carnem, à diuinitate separatam, passam fuisse, impudens falsi testimonii mendacium & calumnia est.

Sic loquitur Zuinglius in sua responsione.

Vide Orthod. Consen. fol. 111.

Sed & quoniam in VValdensium confessione, sicut & in Heluetiorũ declaratione, modum sacramẽtalis Vnionis approbauit Lutherus, quo iure sibi permissum esse volunt Patres Bergenses, vt ad retractandam hanc Lutheri cum aduersarijs suis consensionem, Polemica illa, & pridem abolita ipsius scripta resuscitare, indéque sopitã controuersiam rursus redintegrare, atque ea quæ iam olim pro veris & rectis habita approbatáque fuerunt, vicissim insectati & condemnare iis liceat? Quid enim constanter & verè respondebunt illis, qui omnibus iis, quæ de quatuor corporalis præsentiæ fundamentis: Item de persona Christi, ex prioribus & Polemicis Lutheri scriptis, in suã nouæ Concordiæ formulam includibili cum ignominia ipsius, cõgesserunt, opponere volent, VValdensium confessionis vnà cum Heluetiorum declaratione, tum præfatione,

Vide Acta Concordiæ.

tione, tum literis Cõcordiæ factam approbationem? Audio à Iureconsultis, legibus cautum esse, vt pro falsario habeatur is, qui legem antiquatam ad causæ decisionem sciẽs allegare ausus fuerit. Quod si ita est, quàm omnium iustissimè hac exceptione vtentur VValdenses & Heluetij? contra quos patres Bergenses, dissimulata & neglecta Lutheri cum iis sancita ac iureiurando obtestata concordia, denuo ad ipsos quasi Canone latæ sententiæ condemnandos, & anathematisandos, in medium proferunt & adducunt, quæ olim à Luthero in ipso cõtentionis feruore, sine ratione, & si verũ dicere licet, sine mente & iudicio, tam prorsus ab omni veteris Ecclesiæ cõsensu aliena, scripta fuerunt, & à quibus ipsemet postea, cùm sedatiore animo factus esset, in ipsomet Concordiæ tractatu discessit, & in posterum se pacem cum aduersariis habiturum esse promisit.

Quod si Patribus Bergensibus, qui abrogato veteris Ecclesiæ more legitimam causæ cognitionem in Dominatum conuerterunt, Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi exemplum imitandum, eodémque iure vtẽdum esset, quàm illi futuri fuissent in condemnationibus & Anathematisationibus suis cautiores & parcissimi? Etenim Cyrillus, etsi in causa planè iustissima, nec priuato tãtùm suo, aut paucorum quorumdam suæ factionis, sed frequentissimo omnium totius Alexandriæ Episcoporum iudicio, Nestorium condemnasset: tamen quia non seruatis Ecclesiasticæ disciplinæ legibus, inaudito Nestorio, & causa legitimo iudiciorum ordine non cognita, hoc fecisset, coactus fuit iussione Imperatoria, aut causam suæ præposteræ actionis & condemnationis coram tota œcumenica Synodo Ephesina dicere & defendere, aut ab Archiepiscopatu suo remotus, Ecclesiâ & prouincia exulare. Hanc sortem, si libet, experiantur Patres Bergen-

Anathematismi Cyrilli primò fuerunt Alexandriæ facti, & postea Ephesi confirmati.

Epistolæ Theodos. & Valent. ad Cyrillum.

ſes: quod ſi hanc recuſant, oſtendunt, ſe non bonitate & iuſtitia cauſę, ſed vſurpato in Eccleſia imperio niti, & Dominatum in ea fidei exercere.

In qua fide & ſententia de corpore Chriſti ſit communicandũ

Debebat autem omnes meritò, qui erroneis iſtis Lutheri fundamentis adeò inconſideratè mouentur, melioris ſententiæ admonere, quod Ambroſius ab ijs, qui in Chriſto, quod diuinum & humanum eſt, per diuerſas naturæ proprietates, in ipſa communione Cœnæ non diuidunt, nec diſcernunt, ſed confuſionem ipſarum introducunt (ſicut neceſſariò facere oportet eos, qui Chriſtũ ſecundum vtramque naturam inuiſibilem, impalpabilẽ, & incircumſcriptum, ex iſta triplicis eſſendi modi verè ſophiſtica diſtinctione profitẽtur) nõ recta fide ſacrificium communionis offerri, & participari dicit. Et quod in eandem ſentẽtiã Leo Romanus contra Eutychianos ſcribit:

Lib. de incarna. Domi. cap. 4.

Sermo. de ieiunio ſept. menſis.

Fruſtra eos, quando communionem percipiunt, Amen reſpondere, eò, quod proprietates corporis Chriſti, quod percipere volunt, negantes, nullam habeant illius communionem. Quod etiam affirmat Theodoretus, inquiens: *Cur igitur corporis antitypa, qui proprietatũ in eo mutationem introducunt, percipiunt, cùm ſupernuenerit ſit typus, vbi ſublata eſt veritas?*

Triſtis eſt profectò admodum, & valdè calamitoſa hęc Eccleſiæ ſeruitus, in qua nunc dominatores fidei, tantùm ad reportandã ex hac luctuoſa controuerſia, quocunque modo victoriam, & Aduerſarios ſuos, ſiue iure, ſiue iniuria, opprimendos, talia doctrinæ fundamenta, & quidem planè Tyrannico, omnibúſque in Eccleſia temporibus reprobato, & damnato more & conatu introducere & ſtabilire ſatagunt, quibus verum illud, & vnicum fundamẽtum, à quo aliud ponere nemo poteſt, nempe Chriſtus, in aſſũpta noſtri corporis veritate & proprietate, prorſus euertitur, & ſub ſpecioſo retinędę veritatis corporis Chriſti in Cœna, prætextu, naturalis ipſius veritas, & vnitas,

qua

qua ipse in nobis est,& nos in ipso sumus,è Cœna tollitur & aufertur, omnísque fructus & consolatio,de incorporatione nostri in Christo, quatenus in assumta serui forma primogenitus est ex fratribus,prorsus euanescit.Hoc qui nunc intelligere non volunt, aliquando tandem magno suo malo experientur. Huc tendit Vbiquistarũ Theologia.

Scribit,& disertè fatetur Iacobus Andreas, in eóque cũ ipso consentiunt cæteri factionis suæ coniurati:Non posse vlla ratione resisti,aut respõderi Aduersariorum, quos illi per iniuriã & contemtum Caluinistas vocant, doctrinæ de sacra Eucharistia,nisi positis, firmissiméque retentis iis fundamentis, *De persona Christi,& reali Idiomatum in naturis Communicatione:de Ascensione in Cœlum: & Vbiquitaria sessione ad Dexteram*,sicut hæc ab ipso,& Autoribus libri Bergensis tradita & explicata sunt. Alioquin enim istis fundamentis non positis,firmitérque stantibus,necessariò tunc in castra Caluinistarum transire oportere. Hoc diligenter expẽdat Lector. Idem sentiunt Pontificii,si pannis in Eucharistia manere ponatur.

At hæc ipsorum fundamenta,non solùm Pontificiorũ, sed præcipuè omnium in Ecclesia Dei vnquam rectè sentientium iudicio & confessione, nihil aliud sunt, quàm istorum articulorum fidei, De incarnatione Christi, De Ascensione in cœlum, & ibi in cœlo ad Dexteram Patris sessione,meræ deprauationes & corruptelæ. Apparet ex Cõcione Ingolstadiensi Casparis Franci. Et vide Thomam 3. parte quæ. 57. & 58.

Ergo ex his consequitur, quod & ipsa rerum experientia manifestissimè testatur & euincit, non aliter istam de sacra Eucharistia doctrinam,quæ per calumniã Zingliana & Caluiniana esse dicitur, refutari eique resisti & repugnari posse,quàm si pro refutationis fundamento præcipui isti articuli fidei nouo & deprauato sensu adulterẽtur,& falsus inde Christus introducatur.

Quàm verò illustrissimum hoc est veritatis testimonium, quod ex hac propria Aduersariorum & hostium ipsius professione & ore proficiscitur, quo si qui non mo-

uentur, nec, vt in posterũ rectius sapere & sentire discant, animum inducere volunt, his aliud optandum non est, quàm vt, dum omninò sordescere cupiunt, sordescant adhuc, & ad meridianam lucem cæcutire volentes, sanè quàm diu volent, cæcutiant.

Videbimus autem, quibus tandem excogitatis argutiis & impostoris ista suæ doctrinæ fundamenta, tam inter se, quàm etiam cum immota Christianæ fidei norma consentanea esse, tueri & defendere volent isti adeo magni, & valdè, si Diis placet, Orthodoxi in Ecclesia Bergenses Patres. Illud sanè negare non poterunt, quin superiore tractatu euidentissimè sit ostensum, & euictum, etsi Lutherus pro confirmatione fundamentorum doctrinæ suæ, & ad conciliandam sibi tantò maiorem apud omnes authoritatem, prouocet ad totius Orthodoxæ Ecclesiæ consensum, ipsúmque adeò Papatum: non solùm tamen Orthodoxos in Ecclesia Patres, sed & ipsos Pontificios & Iesuitas, in omnibus istis quatuor Lutheranæ doctrinæ fundamentis, manifestè ab ijs dissentire, & cum Caluinistis, quos vocant, in quorum condemnationem omnis iste libri Bergensis conatus est directus, consentire. Nam etsi circa tertium fundamentum, simpliciter & absolutè, propter Transsubstantiationem suam aliter sentiant Pontificij: tamen ex hypothesi, nempe, si ponatur substantia panis in Eucharistia manere, mysticum, seu tropicum & figuratum in verbis Dominicæ cœnæ sermonem agnoscendum & concedendum esse, diserte & ingenuè fatentur. Vnde quid de libro Bergensi sentiendum sit, omnes boni, sapientes & docti, quibus veritas curæ est, facilè iudicabunt.

In parua Confess.

SYNODI

SYNODI CHALCEDONENSIS Doctrina de persona Christi, in duabus Naturis, Contra Nestorium & Eutychen, ex Agathone Romano, opposita doctrinæ libri Bergensis.

SEquẽtes igitur sanctos Pàtres, Vnum eundémque Filium Dei, & Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus atque confitemur, eundem perfectum in Deitate, eũdem perfectum in humanitate, Deum verè, & hominem verè, eundem ex anima rationali & corpore, Consubstantialem Patri, secundùm Deitatem, & consubstantialẽ nobiscum, secundùm humanitatem, & per omnia nobis similem, absque peccato: ante secula quidem de patre genitum, secundùm Deitatem: in nouissimis autem diebus eundem propter nos, & propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem: Vnũ eundémq; Christum Filium Dei, Vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum: nusquam sublata naturarum differentia, propter Vnionem, sed magis salua vtriusque naturæ proprietate, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, atque diuisum, sed vnum & eundem. Et pòst. Omnia autem duplicia vnius eiusdémque Domini saluatoris nostri Iesu Christi secundùm Euangelicam traditionem asserimus, id est, duas eius naturas prædicamus, diuinam scilicet & humanã, ex quibus & in quibus etiam post admirabilem atque inseparabilem Vnionem subsistit. Et vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur: &

Idem Maximus Dialogo primo contra Nestorium

Vnio personalis est duarũ naturarum, & proprietatũ ipsius, in vnã hypostasin & subsistentiam compositio seu concursus.

habere diuinam omnia, quæ diuina sunt, & humanam omnia, quæ humana sunt, absque peccato. Et vtrasque vnius eiusdémque Dei Verbi incarnati, id est, humanati, inconfusè, inseparabiliter, immutabiliter esse cognoscimus, sola intelligentia, quæ vnita sunt, discernentes, propter confusionis dumtaxat errorem. Æqualiter enim & diuisionis, & commixtionis detestamur blasphemiam.

Vera vnionis personalis ratio

Hæc non competunt Christo quatenus per vnionem secundū vtrāque naturam est inuisibilis, impalpabilis, incircumscriptus, omnipotens, & Vbiqu'.

Et pòst: Quocirca si in nullo differentia naturarum domini nostri Iesu Christi sublata est; necesse est, vt in omnibus proprietatibus eandem differentiam conseruemus. Qui enim in nullo adimendam differentiam docuit, in omnibus eam seruari debere cōmonuit. Et pòst. Quia etsi Vnum Christum, vnámque eius personam ac subsistētiam, propter vnionem videlicet naturarum, quę facta est secundùm subsistentiam, docuerunt Patres: differentiam tamen ipsarum, quæ in eo ordinatę sunt, naturarum, post admirabilem atque inseparabilem adunationem, vsque ad intelligentiæ contemplationem nos cognoscere & prædicare tradiderunt. Si itaque proprietates naturarum in vno eodémque Domino nostro Iesu Christo propter differentiam conseruantur, differentiam quoque naturalium eius voluntatum, & naturalium operationum plena fide nos congruit confiteri, &c. Hæc est Apostolica atq; Euāgelica traditio. Hæc est vera confessio pietatis. Hæc est Christianæ Religionis vera atque immaculata professio.

Vnio non est facta secundū realem communicationem proprietatum in naturis.

Itaq. hanc fidem de Christi persona, in duabus naturis, qui tenēt & intelligūt, illis non est opus noua & schismatica libri Bergensis de hoc Articulo doctrina, quæ etiā à Pontificiis (quibuscum tamen hac in parte sentit Augustana Confessio, & Apologia, Articulo tertio) grauissimo totius Orthodoxæ Antiquitatis iudicio est, improbata & damnata. Et nihilominus audet hāc Christianæ Religionis veram & immaculatam professionem, Selnecerus,

impudens

impudẽs illud os, pro fundamento Neſtorianiſmi, Arrianiſmi, & Turcici Alcorani calumniosè traducere & execrari. At reprimet hunc Sycophantam iudicio ſuo Deus.

AD PRIMVM FVNDAMENTVM

Ante Verſic. *Tertio accepit humanitas Chriſti:* poſt verba *tranſire & conuerti:* ponenda & inſerenda ſunt hæc, pag. 82.

EX quibus refelli non Orthodoxa Vbiquiſtarum ſententia poteſt, qui, quæ Chriſto, vt homini, data eſſe dicuntur, non per œconomiam aſſumtæ humanæ naturæ, quatenus ipſius reſpectu eſt perſona miſſa: ſed ipſi humanæ naturæ, ſecũdùm ſe, data (hoc eſt, proprietates diuinæ naturæ illi hoc modo realiter communicatas, in eámque quaſi effuſas eſſe, vt ſit non ſolùm viua, ſed viuificatrix quoque, non potens tantùm, ſed & omniporens quoque humana illa natura Chriſti, non ſolùm diuina) intelligi oportere contendunt: quem errorem quia Magiſter ſententiarum iam tum vidit, hinc naſci, atque inferri poſſe, Humanæ naturæ Chriſti datum eſſe, vt ſit omnipotens, ita in contrarium definit: *Non eſt humana natura Chriſti datum, poſſe omnia facere, qua Deus facit, ne omnipotens, & per hoc Deus putaretur.* Obiicit autem poſtea pro opinione Vbiquiſtarum ex Ambroſio ſeu Beda, eíque reſpondet hoc modo: *Si homo aſſumtus non habet tantam potentiam, quantam & Deus, quomodo intelligendum eſt illud Ambroſij, apud Lucã? Non ideo, inquit, erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur, quòd ante partum virginis non fuerit, ſed quia potentiã, quam Filius Dei naturaliter habet, homo erat ex tempore acceptu-rus, vt Vna ſit perſona Deus & homo. Ecce apertè dicit, quod Homo erat accepturus ex tempore potentiam, quam Dei Filius habet naturaliter. Quòd ſi igitur homo erat accepturus illam*

Theſi Tub. 19.

Magiſt. Sent. lib. 3 diſt. 14. in fine

Humanitas Chriſti per vnionem non eſt Deus.

cap. 1 in Lucam.

Argumẽtum Vbiquiſtarum & libri Bergenſis.

potentiam: Ergo vel persona, vel natura humana. Sed persona non, quia semper habuit, & habet. Ergo natura. Si natura, Ergo Anima. Nam de carne constat, quòd accipere non posſit. Ad quod dicimus, illud esſe accipiendum de persona, sed non in quantum est Dei, imo in quantum est persona hominis. Vna est enim persona Filij Dei, & Filij hominis, qua in quantum persona est Filij Dei, semper & naturaliter Omnipotentiam habuit: sed in quantum est hominis, non semper fuit. Illa ergo persona, qua semper fuerat Dei, futura erat hominis persona, & secundum hoc quod futura erat hominis persona, acceptura erat ex tempore potentiam, quam naturaliter & semper habuerat, in quantum Dei persona. Quæ distinctio in pluribus quæstionum Articulis est necessaria aduersus quorundam perplexam verbositatem. Hæc Magister sententiarum. Quò pertinet illud Augustini: *Quicquid conuenit Filio Dei per naturam, conuenit Filio hominis per gratiam.* Hoc igitur modo sicut humanitas Christi, in vnitate personæ cum Verbo, accepit, vt sit & dicatur Filius Dei altissimi, non quidem suæ propriæ, sed eius personæ, cuius assumta humanitas est, respectu: Ita quoque cum eo, quod vna cum Verbo persona est, data sunt ei omnia quæ habet Verbum, per Communicationem videlicet idiomatum.

Responsio vera & Catholica. Idem Lutherus in posteriora Verba Dauidis.

Ergo non est duplex omnipotẽtia, communicans & communicata.

Falsa est itaque, & Patrum Bergensium propria, non autem Orthodoxæ Ecclesiæ regula: qua dicunt, Quicquid sacra scriptura dicit Christum in tempore accepisse, hoc secũdum humanam naturam in sese accepisse, intelligendum esse: quod suprà adducta Cyrilli & Magistri sententiarum explicatione perspicuè refutatur.

cap. de persona Christi.

AD

AD PRIMVM FVNDAMENTVM

circa versic. *Hic igitur respondeant Patres*, &. post verba *haberi & reputari*. pag. 91.

EST autem in primis ista nani & sycophantæ illius Nicolai Selnecceri, in totam Christianam fidem & Religionẽ cõtumelioſa calũnia, qua in Apoſtatica ſua præfatione in quatuor prophetas, impudentiſsimo & verè Diabolico mendacio, ſcribit, Nullam doctrinam magis vicinam eſſe Turcico Alcorano, quàm Caluiniſtarum de perſona Chriſti. Ex ipſa enim neceſſariò Neſtorianiſmũ, ex Neſtorianiſmo vero Arrianiſmum, ex Arrianiſmo denique Turcicum Alcoranum ſequi. Idque tam certò verum eſſe, quàm certum ſit, nos homines & Chriſtianos eſſe. O verè atrocem, & quam Deus ſuo iudicio compeſcat, calumniam!

ERRONEAE ALIQVOT D. MARTINI LVTHERI DE SACRA EUCHARISTIÆ negotio ſententiæ, quas in libro Concordiæ Bergenſis canonizare voluerunt Patres Bergenſes.

VErba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, hunc ſenſum habere: *In hoc pane realiter adeſt, & corporali præſentia exiſtit, ſeu continetur, corpus meum*, Vel, *Vbi eſt panis, ibi etiam eſt corpus meum*. Atque hoc modo verba Dominicæ Cœnæ, extra omnem tropum, iuxta ſe ipſa intelligenda, quibus ſe Chriſtus corporali præſentia ad panẽ alligarit, & quòd corporaliter in pane adeſſe velit, edixerit, ita vt in eo etiã quæri, inueniri & comprehendi velit. Contra quod, ante menum cum Carolſtadio corramẽ docuit, hæc verba eſſe

1. In confeſsione magna, & lib. Quod verba Chriſti adhuc firma ſtent: & ſerm. anno 26. Tomo Ienẽſi 1, fol. 374.

verba promissionis & fidei, quibus externa Sacramenti signa sunt annexa. Item, In sacramento Eucharistiæ nihil amplius inueniri, quàm promissionem & fidem.

Vide cap. 7. De abroganda missa priuata.

II. Per verba, *Hoc est corpus meum:* corpus Christi inuadere in panem, occultare se in pane, nec se permittere inde segregari.

In confessione magna.

III. Verba, *Hoc est corpus meum:* loqui de corpore, quod est in pane: & perinde habendum, acsi dixisset Christus, *Vbi est panis, ibi est corpus meum.*

In serm. cont. Sacrimet. Anno 26, & Cõfess. magna.

IIII. Verba, *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum:* hoc naturali sensu accipienda esse, acsi quis hospiti vel Conuiuæ suo diceret, *Accipe, manduca, Hoc est panis albus.* Vel aliter, acsi quis Cantharum cũ vino, & saccũ cum pecunia ostẽdes, diceret, *Hoc est vinũ Rhenense, Hoc est pecunia.*

Sup. cap. 5, & 7. Anno 13. Idem cont. Carol. & de cap. Bab. Notate impostores.

V. Vocabulum, seu pronomen, *Hoc*, non simpliciter de pane, sed de pane carneo, *vom fleischbrot*, vt sic discernatur, *vom Eitelbrot*, intelligi debere. Contra quæ omnia idem Lutherus, in libro contra regẽ Angliæ, nequissimos Sophistas vocat, qui nudam illam propositionem, *Hoc est corpus meum*, tantùm absolutè urgent, & pronomen, *Hoc*, propria temeritate ad corpus Christi accommodant, & simul clamant, Verba sunt clara & aperta. Cùm tamen hæc ex relatione præcedentium de pane accepto, fracto, & discipulis dato, accipi sit necesse.

Vide in Prol. & cap. 7.

VI. In verbis, *Hoc est corpus meum*, Sic corpus de pane dicit seu prædicat, sicut in vnitate personæ Christi vna natura dicitur de altera.

In lib. Quòd verba &c.

VII. Species & accidentia panis, longum, latum, densum, rotundum & color, per verba, *Hoc est corpus meum*, nõ amplius rem panis, sed corporis Christi species & accidentia facta esse.

In cõfess. parua. Hoc nunc negãt Vbiquistæ.

VIII. Sacramentarios & Suenckeros esse omnes, qui nõ credunt panẽ Dominicũ in Cœna, esse plum verũ & naturale

turale

turale corpus Christi, quod impius Iudas ęquè bene oraliter accepit ac S. Petrus.

IX. In hac locutione: *Iste homo Christus est Deus*: maiorem esse in subiecto & prędicato diuersitatē & repugnantiā, quàm in ista, *Panis est corpus Christi*: vel, *Homo est asinus*. Ex hoc fundamēto quo duæ in Christo hypostases necessario præsupponuntur, Nestorius dixit, Christum hominem non reuera, sed per ęquiuocationem esse Deum. Vide in Proleg.

X. In verbis Dominicæ Cœnæ, hæc verba, *Hoc est corpus meū*, discernēda esse ab istis, *Quod pro vobis traditur*. Priora enim illa ad substantiam sacramenti, & corporalem in eo præsentiam: posteriora verò ad fructum ipsius & efficaciam pertinere. Cuius contrarium docuit contra Bullam Leonis Decimi. In paruo Catechismo, & alibi sæpe. Idem Illyricus.

XI. Verba Christi Ioānis 6, *Caro nihil prodest quicquam, Spiritus est qui viuificat*: non esse de ipsa Christi carne, & de corporali ipsius manducatione, sed de carnali hominum sensu & affectione intelligenda. Cuius contrarium antè sensit & docuit, in concione supra cap. 6. Ioan. & in concionibus Postillæ magnæ. Vide proleg. & cap. 7. Dicta Scripturę peruersè explicata. Contra Carolostadium.

XII. Verba scripturæ, *Comedite festinantes: Est enim Phase, seu Pascha Domini*: non verè de agno, quod certo & solemni ritu, vt comederetur, commēdatum à Deo fuit, sed de ipsomet die intelligendum esse: Quis dies ille sit Pascha & transitus Domini, & non agnus. Sicut siquis diceret, *Comede affatim. Est enim dies Dominica. Bibe aquam. est enim dies quinta feria*. Lib. quod verba Christi adhuc firma stent. Vide cap. 7.

XIII. Verba Pauli, *Petra erat Christus*, non de visibili & corporali, aquam in deserto stillante & præbente, petra, eóque modo significatiuè, vt omnes Orthodoxi sēsērunt: sed de spirituali, hoc est, de ipsomet Christo petra, substantialiter esse intelligenda. Cuius contrarium antea docuit in libro de Papatu, cōtra Romanistam Lipsensem. Eodem loco, & in Epist. ad Carsalium. Anno. 20.

In lib. quod verba Christi, &c. Aliter de viuificatione carnis Christi Synodus Ephesina. Supra cap 1.

XIIII. Hanc esse corporalis manducationis vtilitatem, vt os, gula & corpus, quę Christi corpus manducant, inde vitam æternã consequantur. Hanc enim esse secretam virtutẽ & vtilitatẽ, quæ ex Christi corpore in Cœna manducato, in nostrum corpus penetret. Oportere enim necessariò, vt vtile sit corpus Christi, cùm nõ possit ibi frustra adesse. Cuius contrariũ docuit in Postilla magna, carnẽ videlicet nõ prodesse ideo à Christo dictũ, q̃ corporalis illius mãducatio nihil prosit, sed sola spiritualis, quę fide fit, & apud Ioan. cap. 6. commendata est, manducatio.

Ad Vvaldens. fratres contra cœlestes Prophetas, & in confessione magna. Anno 19. Anno 37.

XV. Verba Pauli ad Corinthios 1. cap. 10. *Panis quem frangimus, nõne cõmunicatio corporis Christi est*: non debere de spirituali communione & incorporatione fideliũ cum Christo, sed hoc modo intelligi, ac si dixisset Paulus, *Panis quem frãgimus, est corpus Christi distributũ, ita vt indifferenter omnes, quicunque panem percipiunt, etiam corpus Christi distributum percipiant*. Cuius contrarium sensit & docuit ante motam cum Carolostadio controuersiam, in cõcione de Eucharistia & fraternitatibus. Item, de excommunicatione, & in postilla magna, quod & postea iterum contra se in Cõfessionis Vvaldẽsium subscriptione approbauit.

In confessione magna.

XVI. Communicationẽ corporis Christi apud Paulum esse distinctã à cõmunicatione sanguinis Christi, ita vt cõmunicatio corporis nõ sit cõmunicatio sanguinis, nec è cõtra: & tamẽ vtraq; sic separatã corporaliter & ore fiat.

In confessione magna: *ein Brot ist, so sind vvir vil ein leyb.*

XVII. Verba Pauli, *Vnus panis, vnũ corpus multi sumus quotquot de vno pane participamus*: nõ esse propriè sic legẽda, neq; de vnitate panis vel corporis mysticè intelligẽda, sed ita oportere legi, *Vnus panis est*, scilicet, ille panis Eucharistiæ, qui vt vnus frãgitur, &, *vnũ corpus multi sumus*, hoc est, cõmunis quidã cœtus corũ, qui de isto pane Eucharistię participamus. Cõtra quod olim, & ante susceptã cum Oecolãpadio controuersiã, hęc verba aliter in prima

Trãslatio. Noui Testamenti Anno 15. ferm. de Eucharist. Anno 19. & in Postilla magna.

Noui

Noui Testamenti editione trāstulit,& de vno pane & de vno corpore, q̄ fideles in Christo sint, intelligēda esse docuit, sicut & Orthodoxa Patrū vetustas. Hic igitur ꝓpter motā controuersiam,& verba & sententiā Pauli violēter peruerti,& quæ ipsemet antea docuit Lutherus, mutari, & in aliis pro sacramētario errore reprehendi oportuit.

Vide supra cap. 1 lib. quod verba,&c. Vide in Proleg.

XVIII. Verba Christi Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo:* hunc sensum habere, quod corpus Christi iam tunc, cùm hic Nicodemo sic loqueretur, simul in cœlo & in terra, adeóque etiam vbique & in omnibus locis fuerit.

Ibidem, & in responsione ad Italos.

XIX. Non esse quæstionem magni momenti, an substantiam panis in Eucharistia manere, vel non manere, credendum sit, cùm omnino credi oporteat Christi corpus ibi, hoc est, siue sub pane, siue sub specie panis, adesse.

Localis præsentia & inclusio.

XX. Corp⁹ Christi tres inter se varios & diuersos simul essēdi modos, vtpote Circūscriptiuū, Definitiuum, & Repletiuū habere, & quaten⁹ ꝑ vnitatē ꝑsonę in Deo est, nō esse humanæ naturę ꝓprietatib⁹ obnoxiū, sed esse in omnibus creaturis, & extra omnes creaturas, vt ipse Deus.

Vide in Proleg.

XXI. Corpus Christi glorificatum, esse rem lōgè subtiliorem quàm sit sonus humanæ vocis: ideóque multo facilius ipsi esse inuadere & penetrare in panem, quàm humana facies in speculum, aut sonus humanæ vocis ad multorum aures peruenire possit.

XXII. Quoniam Christus vna persona est: ideo sicut Diuinitas ipsius est vbique, ita quoque humanitatē eius simul vbique: aut Christianā fidem falsam esse oportere.

Vbiquitas ab vnione personali.

XXIII. Valere cōsequentiā argumēti, *Verbum est vbique: Caro in vnitate personæ est vnita Verbo: Ergo & caro Verbi est vbiq.* Itē, *Dextera Dei, ad quā humanitas Christi est exaltata, est vbique, & in pane Eucharistiæ: Ergo etiā humanitas ipsa per modū sessionis ad dexterā, est vbiq;, & in pane Eucharistia.*

A persona ad naturam. Scilicet his assentiri, aut sacramentarios esse oportuit Heluetios.

Hæcque esse firmissima corporalis præsentiæ argumenta.

In confessione parua.

XXIIII. Nisi corpus Christi realiter sit, & esse dicatur in pane, tũc sequi, nudũ & simplicẽ panẽ fore, nec Domini cam Cœnã à quouis alio priuato conuiuio distare. Cuius cõtrariũ scripsit in Postilla magna, Domin. septuagesima.

In sermone contra Snermeros, Anno 26.

XXV. Papistas verũ Christi corpus in processionibus suis circũgestare, licet hoc faciãt sine mãdato Dei. Cuius contrarium sentit in articulis Concordiæ cum Bucero.

Tomo 2. Vuiceberg. fol. 165.

XXVI. Papistas in sua Missa cõmunionem populi facientes, & celebrãtes sub vna specie (quod tamẽ nõ rectè, sed per abusum fiat) verum corpus realiter distribuere.

In confessione parua.

XXVII. Eleuationem corporis Christi in sacramẽto ad hoc esse vtilẽ, & in Ecclesia retineri posse, vt hoc ipso testetur Sacerdos, & intelligant Christiani, Hoc esse verum & reale corpus Christi, quod pro iis est traditum.

Ad Valden. fratres, & contra Carolost.

XXVIII. Corpus Christi in hac eleuatione sacramenti, aut adorandum esse, aut suo debito honore spoliari. Cuius contrarium sensit in approbatione Syngrammatis Sueuorum, ad Oecolãpadium, & cõfessionis Valdensiũ.

Supra cap. 5.

XXIX. Berengarium rectè à Nicolao Pontifice damnatum, & ad hanc Confessionem adactum, vt diceret, Corpus Christi non tantùm sacramento, sed & in veritate manibus tractari, frangi & dentibus atteri. Cuius contrarium, sicut & superiorum simul omnium, sensit in approbatione Syngrammatis Sueuorum, quem librum pro sua confessione haberi voluit.

Hic liber & hodie pro Sacramẽtario dãnatur.

In confessione parua.

XXX. Pontificiam Ecclesiam hactenus de corporali præsentia rectè sensisse, cum qua etiã sentire se velle profiteatur. Cuius tamen contrarium in omnibus ferè prædictis articulis, quos Pontificij damnant & reiiciunt, appareat, & est euidentissimum.

FINIS.